Rarissim

ANNALES
DES
CONCOURS GÉNÉRAUX.

On trouve aussi cet ouvrage, A PARIS,
aux maisons ci-après :

BRUNOT-LABBE, quai des Augustins, n° 33;
ÉGRON, rue des Noyers, n° 37;
JOHANNEAU, rue du Coq Saint-Honoré, n° 8 *bis;*
PONTHIEU, Palais-Royal, Galerie de Bois;
RENARD (veuve), rue Caumartin, n° 12;
VERNAREL et TENON, rue Hautefeuille, n° 30.

On trouve chez le même Libraire :

Le Ministre de Wakefield, traduction nouvelle par M. Hennequin; 1 vol. in-8° imprimé sur papier superfin des Vosges, satiné, et orné d'un très-beau portrait de Goldsmith. — Prix : 7 fr.

SOUS PRESSE,

pour paraître incessamment :

Les *Matières* de toutes les pièces contenues dans ce volume.

PARIS. - A. EGRON, IMPRIMEUR
DE MONSEIGNEUR LE DAUPHIN.

ANNALES

DES

CONCOURS GÉNÉRAUX,

OU

RECUEIL DES DISCOURS LATINS, DISCOURS FRANÇAIS ET VERS LATINS COURONNÉS, EN RHÉTORIQUE, AUX CONCOURS GÉNÉRAUX DE L'ANCIENNE ET DE LA NOUVELLE UNIVERSITÉ;

Ouvrage dédié à MM. les Professeurs et à MM. les Élèves des classes supérieures.

PARIS,

BRÉDIF, LIBRAIRE-ÉDITEUR,
BOULEVARD DES ITALIENS, N° 19;

MAIRE-NYON, LIBRAIRE,
QUAI CONTI, N° 13.

1825.

AVERTISSEMENT.

Nous ne pensons pas qu'il soit nécessaire de chercher ici à faire sentir l'utilité de l'ouvrage que nous publions; le titre seul la démontre suffisamment, et les demandes qui, sur le simple avis de cette publication, nous sont adressées de tous les points de la France, prouvent assez que ce recueil était généralement désiré par MM. les Professeurs et MM. les Elèves des classes supérieures. Nous nous bornerons, dans cet avertissement, à assurer que toutes les pièces que nous offrons au public ont été transcrites très fidèlement sur les copies qui nous ont été remises, soit par les auteurs eux-mêmes, soit par MM. les Professeurs des colléges royaux; et nous saisissons avec empressement cette oc-

casion de témoigner aux uns et aux autres notre vive reconnaissance de l'obligeance avec laquelle ils ont bien voulu joindre leurs efforts aux nôtres pour former cette précieuse collection.

Il nous paraît utile d'ajouter quelques observations d'ordre, pour indiquer le plan que nous avons suivi.

Ce recueil est divisé en trois parties. La première contient les discours latins, la seconde les discours français, et la dernière les vers latins. A la tête de chacune se trouve un certain nombre de pièces de l'ancienne Université; mais on comprend aisément que nous n'avons pu offrir la collection complète de ces compositions, dont la plupart n'existent plus. Celles que nous insérons sont assez nombreuses pour qu'on puisse établir un parallèle entre les deux Universités.

Nous avons été assez heureux pour réunir

tous les discours latins et français qui, dans la nouvelle Université, ont obtenu les premiers prix. Nous y avons joint assez souvent les seconds prix, voulant, autant que possible, fournir aux Elèves le moyen d'exercer leur jugement et leur goût par des comparaisons.

Quant aux pièces de vers, une seule reste à désirer: celle qui a obtenu le premier prix en 1808. L'auteur, M. Guyet de Fernex, nous a assuré ne l'avoir pas conservée, et toutes nos recherches n'ont pu nous la faire découvrir.

Nous croyons inutile de rappeler qu'il n'y a pas eu de concours en 1815, par suite des événemens politiques qui, à cette époque, troublèrent la France.

Nous nous faisons un devoir de prévenir les lecteurs que si, malgré tous nos soins, quelques fautes légères nous étaient échappées, nous les rectifierions dans un *errata*, et les ferions entièrement disparaître dans une seconde édi-

tion, étant très disposés à recevoir toutes les observations qui nous seraient adressées dans l'intérêt de cet ouvrage. Le perfectionner autant que possible, et épargner aux Elèves des classes supérieures la perte d'un temps précieux qu'ils consumaient en recherches longues et souvent infructueuses, leur faciliter des triomphes classiques, en leur donnant une idée du bon esprit et du bon goût que l'Université maintient et encourage par un choix flatteur; tel a été l'unique objet de cette entreprise, telle en sera la plus douce récompense.

Nota. *Voir au* SUPPLÉMENT *les pièces qui nous seraient parvenues trop tard pour occuper la place qui leur est assignée dans l'ordre des années.*

ANNALES

DES

CONCOURS GÉNÉRAUX.

CONCOURS DE 1756.

PRIX D'HONNEUR.

LA HARPE, Elève du Collége d'Harcourt.

Divus Gregorius enixè adhortatur filium ut ex aulâ Juliani imperatoris quàm primùm recedat.

Quousquè tandem, ô filî, patrem afficies tàm acri dolore? Quousquè me tàm acerbis curis, tàm gravi sollicitudine cruciabis? Nunquàmne tuum subibit animum meî miseratio, quem tuis exterritum periculis, omnia pertimescentem, et aulæ et principi diffidentem intelligis? Non te pietas paterna precibus, aucto-

ritate, jussis movere potuit? Ergo non cogitâsti aliquandò quantùm dedecoris in te tuosque, et totam christianorum gentem redundaret, quòd christianus inter fictorum Deorum cultores, fidei defensor acerrimus apud ejus hostem commoreris! Sic religionis, sic patris, sic tuî memor es?

Age verò, quibus vinculis impii principis in aulâ retineris? An honorum cupiditate? sed eorum pericula maximè timere debes. An divitiarum siti? sed quàm despiciendum est istud quod adeò fluxum est, et tot casibus obnoxium? An potentiæ desiderio? hujus igitur onus grave non reformidas? Itàne a me educatus es, ut ista omnia quidquam esse duceres? Ignorasne sordere christiano quidquid est caducum? nihil ipsi nisi cœlum expetendum esse? quod quidem nemini patet nisi illi qui omnem humanæ magnitudinis pompam, cæteraque quorum cupiditate homines ferè insaniunt, alacriter conculcârit. Siccine hanc æternam felicitatem vis adipisci, qui te tantis periculis objicias?

Circumspice, quæso, fili, et quibuscum vivas considera. Cum hariolis, cum aruspicibus, cum præstigiatoribus, cum omni denique flagitiosissimorum hominum colluvie filius meus vivit habitatque; cum illis colloquitur, inter istas pestes quotidiè versatur teterrimâ contagione circùm afflatus. Nec timet tamen; vagatur per lubrica et præcipitia securus; fidit blanditiis tyranni. Cave, fili; quærendo periculum invenies perniciem. Nescis, heu! nescis quid periculi habeant delinimenta tyrannorum. Ego verò graviùs ea

quàm tormenta reformido. Fallimur faciliùs quàm vincimur. Sic tu nôsti Julianum? Erras, fili, et graviter erras si credis fictæ illius mansuetudini, compositisque diligenter ad recti normam moribus. In eo neque virtutis quidquam est, præter speciem; neque mansueti, præter verba vultumque, sæpè falsum intimi pectoris indicem. Latet sub eâ moderationis larvâ crudelitas immanis; sub ostentatione sapientiæ, stultissima superstitio; sub clementiæ specie odium in christianos infestissimum, quod, quantò diutiùs compressum fuerit, tantò furiosius erumpet ac immanius desæviet.

Quid enim aliud expectandum à sacrilego principe qui à religione suâ tàm ignavè quàm turpiter descivit? Hujus ignominiæ memoriam, quandò aliâ re non potest, ruinâ christianæ religionis vult extinguere, et fidem quam ejuravit penitùs delere. Ad quod consilium, postquàm blanditiæ parùm profecerint, sanguine christianorum, qui suum ipsi scelus videntur exprobrare, labem suam eluet. Et hujus tyranni familiaritatem non respicis cui contemptum debeas?

An excidit ex animo quo genitus patre sis? Quàm religiosæ matris uberibus nutritus? Hosne stultæ fiduciæ sensus cum illius lacte combibisti? Hisne præceptis à patre imbutus es? Hæc christianis, filius episcopi, das exempla? Sic servare curas felicissima illa semina religionis quæ tibi à teneris insita sunt? Sic patris auctoritatem revereris? Et quis hanc non contemnet, quis præceptis meis morem geret, si filius

meus obtemperare iis negaverit? Consilia mea sequere tandem, ô filî: tibi enim suadere quàm imperare malo. Quis sis, quibus ortus sis, quibuscum vivas reputa. Crede mihi, filî; te, te pater alloquor qui nihil unquàm tibi præcepi, nisi quod optimum esset; qui te ita institui ut Deum omnibus anteponeres, et nihil faceres, nisi quod ipsi esset gratissimum. Tanti laboris pretium noli in discrimen adducere. Fuge, filî; non aliter vinces nisi fugiendo. Miserere meæ senectutis, doloremque meum leva. Respice vergentem in tumulum patrem; lacrymas de te sollicitæ matris absterge; teque tandem periculo, nos timore libera.

CONCOURS DE 1757.

PRIX D'HONNEUR.

LA HARPE, Elève du Collége d'Harcourt.

Medicus ad Galerium imperatorem.

Hoc primùm à te rogo, princeps, ne ea quæ tibi sum dicturus, hominis de salute suâ desperantis exprobrationes, potiùs quàm imperatori suo studiosissimè consulentis fida esse monita existimes. Pejùs enim est morte dignum esse quàm mori; et tùm justo me supplicio afficeres, si ea, quæ tibi sola prodesse possunt, reticerem.

Quid nos insimulas, Galerî? Quid in homines innocuos effundis iram? Quid pœnas ab illis sumere paras à quibus minimè læsus es, imò qui tuum sanare morbum, vel capitis sui periculo, tentaverunt? Indignaris quòd homines Deo minùs valeant? Ille, ille Deus tibi accusandus est qui hoc tibi malum immisit, qui te ex alto percutit, et his gravissimis, qui te nunc cruciant doloribus, addixit. Illum agnosce, solum

verumque Deum, qui, pro nutu suo, regna dat, adimitque, qui mortis et vitæ summus est arbiter, regumque supremus judex; quem nemo unquàm bonus frustrà imploravit, nemo malus impunè læsit. Hunc incusa, princeps, tuorum malorum auctorem: de eo conquerere. Quanquam quid irasci potes? Dicam enim sine metu, quod tuâ sine pernicie tacere non possum. Quid illi jure exprobraveris? Suam Deus in hominem ulciscitur injuriam. Revoca in memoriam quàm implacabili odio christianos sis persecutus. Pone tibi ob oculos urbes eorum sanguine perfusas, aut rogis penè ardentes, exquisita acerbissima suppliciorum genera, lassatas ipsas torquendo carnificum manus, et exsatiatam vel infensissimorum inimicorum crudelitatem. Hæc omnia, inquam, recordare; et, si Deum esse credis, potesne dubitare quin ipse potenti manu te afflixerit? Quos christianis admovisti cruciatus, omnes te dirè torquent; et quos in eos acuisti ferreos ungues, hi nunc te fodiunt et dilacerant. Nempè vidit ab alto Omnipotens quæ contra se auderes, et vindicavit se suosque. In eum insurrexisti, et ab eo prostratus es; ejus iram provocâsti, et illa in te detonuit. Et à nobis sanitatem postulas, quasi verò homines opus Dei possent evertere! Qui tui morbi auctor, is eum solus sanare potest.

Ejus igitur opem implora, princeps, à quo una tibi salus exspectanda. Ejus iram deprecare, et manum te ferientem adora. Non pudeat, quem tamdiù sprevisti, nunc invocare. In peccando tantùm dedecus, in lugendis peccatis laus; nec turpe est à supremo rerum

omnium Auctore veniam petere. Quem te esse oblitus es in solio sedens, nunc lecto affixus hominem esse te memento; et cujus potentiam superbiâ contempsisti, justitiam audaciâ provocâsti; majestatem impietate violâsti, ejusdem irati Numinis misericordiam tuis commovere precibus enitere.

CONCOURS DE 1780.

PRIX D'HONNEUR.

DELACOUR, Elève du Collége des Grassins.

Oratio Pompeii indignatam plebem à suppliciis piratarum dehortantis.

Quòd hujus atrocissimi belli incendium quo jam pridem Europæ et Africæ littora conflagrabant, tàm incredibili celeritate auspiciis meis restinctum ac profligatum est, quùm fortunæ populi rom. tùm maximè Deorum benignitati videtur esse tribuendum, qui trucem illam piraticæ gentis aviditatem noluerint diutiùs exsultare impiis latrociniis. En adsunt communes generis humani hostes : nostrum fuerit, Quirites, efficere ut vobis, quibus curæ est generis humani felicitas, de illis arbitrium foret : vestra enim deliberatio est quonam modo perpetuâ pace quietos obtineamus. Qui sint in posterum, aut non sint in vestrâ manu positum est. Pacem igitur, quod ad istos attinet, parare vobis in perpetuum vel sæviendo, vel ignoscendo potestis.

Equidem nil esse fateor cur sperent se à nobis clementiùs habitum iri. Quâ enim misericordiâ digni sunt, imò quod satis exquisitum supplicii genus excogitari potest in eos qui sese omnium vitæ ac libertati infensos præstitêre, qui populorum luctu, egestate ac miseriis creverunt? Itaque si plùs apud nos valet eorum scelus quàm nostra dignitas, si nostræ potiùs indignationi quàm famæ consulimus, omnes certè hi miserabiles ad unum trucidandi sunt, aut in ergastulorum squalore ac tenebris ad vitam morte graviorem damnandi. Sed quantùm à moribus meis abhorreat, jam satis anteactâ vitâ comprobâsse mihi videor. Quantò magis placet illa vobis imitanda proponi majorum nostrorum exempla, qui, si nefarii aliquid esset ab hostibus factum, potiùs quod se dignum foret, quàm quod in illos jure fieri posset, considerabant. Enimverò non me Roma carnificem, non hominum mercatorem apud exteras gentes esse voluit, qui, aut exarmatæ multitudinis sanguine meos funestarem oculos, aut eosdem mercedis spe venales exponerem; nec eò me romanæ dignitatis immemorem illa dies arguet, ut, quorum veni fœdissima ulturus latrocinia, in eorum mores turpissimè degenerem. Quanquam illos quid tantùm meos dico, quùm sint etiam populi rom. mores, apud quem id semper fuit usitatum, ut parceret victis, hostemque, nisi qui arma haberet, neminem, quod decet viros, agnosceret : qui semper maluit amicorum et sociorum adjungere sibi præsidia, quàm servorum capitibus ferreo jugo incumbere.

Quid? Quàm malè consuluerit reipublicæ, si quis

ita sæviendum esse censeat! Enimverò, ut maximas utilitates omittam quibus se ipsi defraudarent Romani, quantam invidiæ molem conflarent! Non enim deerunt qui nos cupiditati præclara nomina prætendere, ac prædæ divitiarumque magis quàm communis injuriæ causâ piraticum bellum susceptum dicitent. Patiar vos huic opinionis fœditati locum præbere? tantam inuri gloriæ vestræ turpitudinis notam?

Prætereà quid est quod jam à piraticis metuendum esse videatur, quùm naves, quibus freti per totum Oceanum populandi causâ volitabant, captas viderint: quùm illi portus, ubi totius orbis prædæ incubabant, direpti fuerint ac devastati: quùm superbas illas arces, undè cervicibus nostris imminebant, solò æquaverimus? Nunc providendum est ne quid in posterum moliri possit impotentissima gens: quod ut assequamur in promptu est, si à mari procùl amoveatur, ne hujus vicinia et opportunitas eos aliquandò ad perversam indolem revocent. Jàm verò ea fuit bellorum superiorum calamitas, ut in quibusdam Asiæ regionibus immensæ terrarum latitudini cultores desiderentur. Meliùsne collocari possunt piratici belli manubiæ, quàm si in id impendantur, ut squalenti ac deformatæ stragibus terræ suus honos reflorescat, et belli detrimenta belli fructibus resarciantur? Quod dignum populo rom., qui instar deorum immortalium non minùs optimi quàm maximi nomen affectare debet, dignum majoribus nostris, qui hanc demùm esse victoriam putabant, quâ ipsis optimè merendi de humano genere facultas dabatur.

CONCOURS DE 1781.

PRIX D'HONNEUR.

SAINT-ELIER, Elève du Collége d'Harcourt.

Guillelmus, Normanniæ dux, ad exercitûs sui præfectos, cum Heraldo de anglico regno conflicturus.

Si vestra virtus et studium minùs mihi perspecta essent, nequicquam Eduardus regni me successorem et hæredem constituisset, illud impunè Heraldus per summam perfidiam occuparet; neque, cùm possem acceptis à patre certisque opibus contentus vivere, per ignava aut vana ingenia, in incertam ac periculosam novæ dominationis aleam irem: sed quia jàm sæpè vos cognovi fortes fidosque mihi, minimè decere censui, si, talibus amicis adjutus, præbenti se fortunæ deessem, et jura mea tueri armis ne auderem quidem. Neque ut affectus vestros in amorem meî magis accenderem, aut animos ad virtutem cohortarer (utràque enim abundè supersunt) vos convocavi, sed ut ratio-

nem consilii mei vobis aperirem. Jàm verò quo in loco res nostræ sint, juxtà mecum omnes intelligitis : hostis à fronte, mare à tergo et formidolosa classis; non suppetunt commeatus; eò denique sumus adducti, ut omnia nobis victoriam inter mortemque abrupta sint, nobis in hoc loco aut vincendum sit aut moriendum. Neque quàm magni ponderis ac momenti, tàm difficilem existimaveritis victoriam fore. Hostis quid aliud quàm perpetua nobis materia segesque gloriæ ac triumphorum? Quem integrum, quem opibus florentem vigentemque fudimus totiès et profligavimus, nunc tot cladibus fractum et attritum non vincemus? Nobis resistent afflictæ, debilitatæ, decrescentes quotidiè numero copiæ? Videtis quantâ frequentiâ deficiant singulis diebus à duce suo? Quodnam majus earum et desperationis et odii in impotentem tyrannum indicium esse potest? Reliquias igitur hostium, non hostes habebimus; et, quoàd eos qui adhuc supersunt, vique magis quàm studio et amore continentur, quales habendi sunt milites, qui ad prælium atque pericula inviti et reluctantes trahuntur, mortemque in acie incertam ideò tantùm adeunt, ut certam sibi à duce suo imminentem effugiant? Cum istius modi militibus aut servis potiùs trepidat nunc ferox ille Heraldus, anxius, jam ferè victus conscientiâ et suæ et nostræ virtutis : nunc vellet nunquàm nos lacessivisse, satis habiturus, si possit sese nostris è manibus eripere.

Hæc omnia secunda nobis, adversa hostibus, simul et fides fortitudoque vestra, et, si quid de me loqui

fas est, fortuna mea satis feliciter adhuc experta, mihi plurimùm spei fiduciæque afferunt, faciuntque ut ad victoriam nos, non ad pugnam ire credam, ac me jam regem Angliæ existimem. Quod quidem partum imperium mihi eò dulciùs, eò jucundiùs erit, quòd, auctis opibus, memorem gratumque animum exhibere vobis impensiùs potero. Licebit amoris in vos indicia et pignora, pro animo meo, pleniùs effundere, cumulare vos dignitatibus, honoribus, bonis omnibus; et, quoàd vivam, nunquàm redditam vobis, quantùm decet, gratiam putaveritis : semper illa apud me integra erit. Absitque ut ego vestram virtutem sic remuneratam existimem : præmia longè majora vobisque digniora tribuet posteritas ; prominebit in memoriam sempiternam egregiè factorum vestrorum gloria, eò splendidior quò nequiorem hostem oppresseritis : utque de Heraldi scelere, de vestrâ victoriâ nulla unquàm obmutescet vetustas.

Eia agite, pugnate alacres, virtutis vestræ, ducisque cujus auspiciis semper vicistis, memores : cogitate vos decus, gloriamque, præterea vitam et libertatem manibus portare : perjuros aggredimini fidei datæ et jurisjurandi immemores: Deus profectò, Deus spretorum fœderum ultor et vindex, pugnantibus nobis aderit; ille nos è cœlo potenti numine tuebitur; nec sanè regnum, legitimo regi ereptum, fraudis ac perfidiæ præmium prædamque fieri patietur.

CONCOURS DE 1804.

PRIX D'HONNEUR.

NAUDET, Elève de l'Ecole centrale du Panthéon, (aujourd'hui Collége de Henri IV.)

INSTITUTION LEPITRE.

Rutilius ad Popilium Lænam Ciceronis, liberatoris quondam sui, interfectorem.

PROH ! Deorum atque hominum fidem ! quid patrâsti, scelerate ? quâ cæde cruentatus es ? Potuistine Tullium occidere qui tàm vehementi studio, tàmque forti patrocinio te ipsum protexit ? Caputne sustinuisti amputare, ex quo orta est salus tua ? manus abscindere, quæ, de rostris ad judices conversæ, vitam tuam precabantur, ac te moriturum tutatæ sunt ? Vitâ frueris Ciceronis beneficio, et sic te memorem præstas ! Ah ! tàm infandæ proditionis atque impietatis speciem sustinere non possum ! Debilem ac indefensum trucidare, nefariis manibus sacrum illud corpus dilacerare, sanguine liberatoris infandam sitim

explere, animus non refugit, non reformidavit? O hominum atrocissime, non te prioribus tuis facinoribus imparem ostendis. Nimirùm et patrem tuum interfeceras, qui et patronum et liberatorem nefandâ cæde mactâsti. Adeòne suaviter, bis parricida, eorum mors, à quibus vitam habes, te delectaret?

Monstrum immane, cui nimis diù fulmina pepercerunt, nihil igitur tibi sanctum est? Si beneficia, quæ Tullius in te contulerat, animum non moverunt, at quo ore majestatem senatoriam consularemque dignitatem violâsti? Ergo furorem comprimere non potuit nomen omni terrarum orbi venerabile? Ira tibi non cecidit senectutis infirmitatem conspicienti, quæ semper sacrosancta et piè atque reverenter apud omnes homines exculta fuit?

Sedenim quomodò sensus humanos ab istâ belluâ exigere possum? Nullis, nisi rabie et sanguinis siti, affectibus impellitur; et, strage nunc exsaturatâ, crudelitatis monumenta nunc ostentat. Ergo, Quirites, civis Romanorum præstantissimi hæ sunt reliquiæ! Hic vir, hic est qui facundiæ fulmine jàm ingruentes Catilinæ minas, et conjurata sicariorum molimina perfregit: hic est qui perturbatam civitatem ac labantem restituit, qui, sapientiâ et fortibus consiliis, accensas propè bellorum civilium faces restinxit! Quantùm mutatus ab illo Cicerone, quem votis et laudibus ad cœlum tollebatis, quem in ædes triumphantem reduxistis, qui effusis gratorum animorum sensibus pater patriæ fuit appellatus. Tùm potentissimus florebat, tùm et in patriam et in pri-

vatos officiis dies suos numerabat. Heu! quid tibi, infelix, profuit cives beneficiis cumulâsse? Hanccine mercedem persolvunt? O diram et singularem tanti viri fortunam! ingratos tantùm et impios inter cives tuos invenisti. Te proscribi non vetuit, imò et sese inimicis tuis participem atque conscium adjunxit, cui tàm strenuam, tàm fidelem navaveras operam; et imperio, ad quod ipsum omni eloquentiæ et amicorum auxilio enixus extuleras, usus est, ut mortis tuæ decretum obsignaret; te trucidare, te trucidatum dilaniare potuit, quem primo parricidio absolutum servaveras! Quarè funestâ motus misericordiâ serpentem in sinu fovisti qui tibi mortem inferret? Viveres, aut saltem non romana dextera vitam tuam abrupisset. Solus ille parricida sacrilegas tibi manus afferre potuit.

Sed nec satis tyrannos oblectabit cædes, nisi tristibus reliquiis insultare gaudeant. Agitedùm, crudeles, manus ambas rostris affigite de quibus patriæ inimici tonantem senserunt. Affigite caput: timete verò: sceleratos adhùc perterrebit. At venite, si audeatis, de impietate ac sævitiâ cum Popilio contendite. Meritò à tyrannis cruciatur ille qui nefariis conatibus obsistere, qui leges, qui jura populi, qui libertatem solus defendere potuisset. Egregii civis est a tyrannis vexari. O me infelicem! quid serò nimiùm adveni? me ipsum corpus pro corpore Ciceronis opponentem gladio satelles transfixisset. Meliùs sanè mihi fuisset cum Romanorum ultimo occumbere quàm tàm nefanda intueri... Feri, quid ces-

sas, ô vilis carnifex? cæde cervices, amputa manus; ictibus tuis agnosco Popilium : cumque manibus et capite Tullii exspectanti Antonio porrige, et duplici cæde fœdatus mercedem expostula; sed non spera fore ut sceleris fructu placidus gaudeas. Tuæ tibi conscientiæ morsus, primi carnifices, adhærebunt. Nunquàm patris aut liberatoris nomina audies quin perhorrescas. Te patris manes, te Tullii umbra diu noctuque persequentur : te ultrices furiæ sanguinolentorum capita objicientes indesinenter torquebunt; et, ut nihil pœnis desit, utinam posteri, famâ facinorum auditâ, æterno contemptu et odio te obruant : dii justi, dii imprecationibus meis in te accensi, in perniciem tuam semper incumbant, et criminibus, si fieri potest, æquent supplicium, atque tormenta tua exemplum sceleratis terribile præbeant!

CONCOURS DE 1805.

PRIX D'HONNEUR.

MOUSARD, Elève du Lycée Napoléon,
(aujourd'hui Collège de Henri IV.)

Sully ad Henricum quartum, capto ab Hispanis Ambiano.

Quis tibi frontem obnubit dolor, rex optime? Quid mœrorem ac tristitiam spirantes sibi volunt oculi? Nùm ego regem, nùm, quod aliquantò majus est, Henricum meum, nescio quo fortunæ casu, sic dejectum aspicio? Quàm infelici fato fieri dicam, ut ille qui majorem gloriæ messem ex periculi magnitudine semper speravit, qui, quùm fortuna parùm favisset, acrior virtute intactâ rediit; quem deniquè nec laborum magnitudo, nec hostium undique instantium minæ, nec operum difficultas frangere, imò ab incœpto consilio avertere potuit, hodiè mœrens, quasi omnis esset præcisa spes, suîque immemor, torpescat.

Fatebor quidem, id tibi ægro ferendum est animo

quòd Hispani Ambianum ceperint urbem; et ipse sum doloris particeps. Attamen mihi consideranti, et rem attentiùs perpendenti occurrit lenimen doloris et solatium, spes recipiendi. Quibus enim artibus usi sunt ut Ambianum suam in potestatem redigerent? Non vi apertâ, impares per dolum irrepserunt; fortunæ ludibrio et munere usi sunt. Qui talibus ad victoriam grassantur viis, se timidos aut vinci faciles ultrò confitentur. Quid aliud est tibi istius modi hostis quàm novæ laudis tuæ materies? Pugnat dolo ista ignavissima gens, nos pugnemus virtute. Si urbes occultis artibus subripere Hispanorum est, eas marte aperto et armis recipere Gallorum sit. Nec nobis, si quid arduum præstandum occurrerit, desunt auxilia. Magni sumus et opulenti; omnia secunda sunt, et obedientia, quò faciliùs injurias ulcisci nobis licet. Quocumquè enim circumtuli oculos, cuncta video animorum et roboris plena; milites multis bellis jàm expertos, populos fidissimos fortissimosque, pecuniam, arma ultrò suppeditaturos, imò et pugnaturos.

En ad eos felices efficiendos studes; illi tuorum beneficiorum haud immemores, quæ tibi erunt utilitati, quæ simul sui erunt arbitrii, ea certatìm facere connitentur. Eos tui imperii non pœnitet; te eorum fidei in hoc periculo non pœnitebit. Sed quid periculum ad te graviora passum? Victrix è majori rerum discrimine, juvante Deo, evasit tua virtus, victrix evasit tua solertia. Nec jàm tot urbium expugnatorem, tot gentium domitorem una urbs, una

remorabitur, nec tuorum armorum vis atque acies hanc ad urbem veluti ad scopulum illisa frangetur et hebescet; nec præceptarum animo victoriarum spes et exspectatio evanescet : donec incolumis stabis, rex optime, donec hortator et fortitudinis exemplum exercitui præeris tuo, nulla esse poterit vis, aut asperitas fortunæ, quæ viris verè Gallis desperationem, metumve injiciat; nihil erit tàm invium per quod Gallorum fortitudo viam sibi non faciat, nil tàm arduum quod non superet Gallorum alacritas, nil tàm invictum quod insitus Gallorum animis vincendi ardor non frangat et expugnet. Quùm res ità sint, ô rex optime, hostes invadamus, vincamus fortunam, vincamus virtute dolum, et nostris armis admonita hispana gens discat quibus ad vincendum Henricus rationibus utatur.

CONCOURS DE 1806.

PRIX D'HONNEUR.

Jos.-Vict. LECLERC, Elève du Lycée Napoléon,
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

INSTITUTION DABOT.

Surena ad Parthos adversùs Crassi exercitum jàmjàm pugnaturos.

Nequicquam fide et operâ nostrâ, fortissimi commilitones, Orodem paterno solio restituissemus; nequicquàm nostræ jàm procumbenti patriæ pristinam gloriam et optatam reddidissemus felicitatem, nisi novis regem eripuerimus periculis, et ab universo terrarum orbis famulatu nomen gentemque Parthorum hodierno die vindicaverimus. Nunc igitur omnia victoriæ pro nobis sunt incitamenta : nos et rex, et patria ad debellandos Romanos cohortantur; nos, si victores sumus, libertas manet; si victi, servitus. Istius infandæ servitutis expertes, integri adhuc et indomiti stamus : cæteræ gentes jugum pati possunt; Parthorum autem res est propria libertas. Illam igitur, auspice quâ

nostras jacentes ereximus opes, et hactenùs Romanorum iniquum imperium ignoravimus, ab eorum armis et ab ignominiosâ catenarum fœditate defendamus, illamque in ejus extremis penetralibus tutemur.

Jàmjàm ambitiosi, prosperoque fortunæ flatu nimiùm elati, turpia nobis vincula parant isti raptores gentium, orbis vastatores, ista crudelissima et superbissima plebs, quæ suâ omnia, suique arbitrii facit; quæ se modum imponere æquum censet, quo bellum, quo pax habeatur; quæ nobis montium fluminumque terminos circumscribit, neque eos, quos statuit, observat; quam neque Græciæ, nec Hispaniæ, nec Galliæ tributa et divitiæ satiaverunt; cui denique nihil pensi, nihil sancti est, dummodò cunctas Orientis Occidentisque regiones insatiabili aviditate, et sævitate immani depopuletur. Trucidare, rapere, in alienas invadere fortunas; quocumquè grassantur, flammas, ferrum et solitudinem inferre, liberos abducere alibi servituros, potestatis et imperii jura vocant, iter ad gloriam arbitrantur. Circumspicite Syriam: expugnatæ urbes, et à cupidis ferocissimisque militibus direptæ, mœnia diruta eversaque funditùs, Deorum ultores poscentium refracta spoliataque delubra, deletaque ignibus et ruinis; bona cunctis civibus adempta, ità ut, nudo solo, campisque longè latèque vastatis, ne hoc quidem ipsis solatium supersit, ut fortunæ reliquiis se ac suos alere possint; omnia demùm fœdera humani divinique juris violata: hæc sunt romanæ insignia virtutis; hæc sunt, quibus isti latrones domini terrarum vocari mereantur. In hoc

igitur totius orbis communi servitio, nihil usquàm nobis relictum est, quàm quod armis et manu vindicaverimus.

Attamen indignor, commilitones, mihi vobisque rem agendam esse cum avido prædonum duce, quem nulla virtus, nulla militaris artis scientia commendat, cum homine vilissimo, qui coacervatos inter auri argentique cumulos novis semper divitiis inhiare solitus, si quandò cepit arma, præliorum rudis, nusquàm viros aggressus est, servosque tantùm et gladiatores, utcunquè fustibus et catenis instructos, quos flagello et scuticâ profligare potuisset, vix ordinatâ acie (dignus quidem imperatore tanto triumphus) post multa prælia confecit. At non hìc cum gladiatorum exercitu, non hìc cum Spartaco, non cum fugacibus hominum catervis, non intrà Italiam parataque cedentibus auxilia, sed cum Orodis emerito duce, cum fortissimis militibus, quibus animo stat fixum aut vincere, aut, si fortuna dubitat, in prælio potiùs quàm in fugâ mortem oppetere, Crassi copiis, ignota et hostilia omnia in regione longinquâ circumspectantibus, dimicandum est. Quin imò, pro ambitioso duce, non pro se pugnaturi, in aciem, non quia audent, sed quia necesse est, ignavi seguesque procedunt. Vos autem, ô milites, jàm nunc accendit ea virtus, quam vobis, nunquàm ullâ vi labefactandam, velut hæreditatem majores reliquerunt; jàm vos ille bellicus exstimulat ardor, et mox vobis faciliorem adversùs resides servos præbebit victoriam.

Saltem si nobiscum pugnaturus in conspectu staret

vel Cæsar ille, qui romanam potestatem tanto studio tutatur, maximisque à Senatu semper ornatur laudibus; Cæsar, quem, Galliarum victorem, ferunt omnes imperatorum romanorum, omnes exterarum gentium, omnes clarissimorum regum res gestas superasse; Cæsar, quem disjunctissimas terras victoriis citiùs, quàm passibus alius quisque potuit, peragrâsse perhibent; vel Pompeius ille, in quem et Dii et homines, virtutes, opes, gloriam, omnia ornamenta congesserunt; ille, quem maximus Mithridates, tamdiù romanæ potentiæ obluctatus, tandem superatorem sensit; ille, quem vocant magnum, cujusque tot bella, tot victorias, tot triumphos admirantes enumerant; si tanti heroes nobiscum confligerent, non sine periculo quidem, sed nec sine laude vinceremus. Nunc verò nobis fugandus et cædendus est stolidus imperator, diris à suis ipsis civibus devotus, cujusque vexilla nuper (quod Dii immortales faustum omen faciant!) Euphrates hausit funestis abrepta turbinibus; quem quùm fuderimus ducem, parva quidem Romanis jactura, nobis autem gloria nulla continget.

Iste tamen intereà insanæ temeritatis et ambitionis meritas luet pœnas. Quid enim ad illum, quod agant Parthi? Nùm Romanis unquàm interposuimus nos? Intrà fines nostros, in sede parentum securè commorantes, nùm patriam, alienas populaturi terrás, unquàm deseruimus? Nùm Italiam invasimus? Nùm terrarum ambiimus imperium? Nùm oppugnavimus Capitolium? Nùm spolia, prædas, externasque opes, ut Crassus iste, domum asportavimus?

Sed jàm adest prædonibus, et prædonum avaro duci fatalis dies : etenim ne vos terreat hic romani nominis fulgor ; non Romani isti, sed prædones sunt ; et nihil est, cur fidelissimis fortissimisque militibus vobis comparandi sint. Locum pugnæ ipse elegi ; et ventum est eò, undè pulsis salutis spes nulla superest. Commeatibus enim et omnibus vitæ carentes subsidiis, confectis fame viribus, sitique laborantes, armis jàm impares sustinendis, et magis necessitatibus humanis quàm bello victos, longis per aridam camporum vastitatem itineribus defessos exhaustosque, mediis arenis quasi expositos, trepidos ignorantiâ locorum, clausos quodam modo ac vinctos Dii cæderum ultores nobis tradiderunt. Vix gladiis opus erit. Ite igitur ad certam victoriam alacres, ite pleni fiduciâ ; vos pacti fides, vos sacramentorum religio, vos tot dirutæ urbes, tot vexati populi, tot venundati ad servitium cives, vos orbis deniquè libertas vindices postulant et exspectant. Arma cum superis benè juvantibus capite, parate arcus, promite sagittas ; urgete à fronte, à lateribus, à tergo, quà se vertant, undè perfodiantur, incertos. Non tantùm vis et apertum bellum, sed etiam, quoniam nihil provocatis nefas, dolus adhibeatur. Simulate fugam, terribilem ignorantibus fugam ; struantur insidiæ ; et dum fallaci ebrii victoriâ, incauti dispersique nos persequentur, excipiemus temerè ruentes ; orbemque prædonibus et latrone duce, nosque diuturno metu liberabimus.

Scilicet, ô fortissimi commilitones, quùm legiones miserabiliter cæsas, humique jacentium corporum

cruentos acervos; quùm filium Crassi ante aciem in conspectu patris telis coopertum, et confossum vulneribus, exanimemque ad pedes ejus procumbentem videritis; quùm imperatoris ipsius Crassi caput recisum reportaveritis ad regem, auro liquido in rictum oris infuso, ut qui vivus auri cupiditate arsit, ille mortuus et exsanguis auro etiam exuratur; quùm denique romanæ apud nos potestatis omne deleveritis vestigium, et iterùm Parthis felicitatem, securitatem regi reddideritis: tunc vobis in promptu erit intelligere, quid valeant adversùs ambitiosos avarosque prædones, temerario stolidoque parentes duci, et amor patriæ, et virtus, et libertas.

CONCOURS DE 1807.

PRIX D'HONNEUR.

Jos.-Vict. LECLERC, Elève du Lycée Napoléon,

(aujourd'hui Collège de Henri IV.)

INSTITUTION DABOT.

Oratio Ulyssis, in concilio procerum trojanorum, Helenam à Priamo reposcentis.

Unus ego, trojani proceres, è viginti regibus, qui Trojam oppugnatum veniunt, ab iis summoque Agamemnone Ulysses legatus sum, ut, eorum nomine et auctoritate, vobis maximoque Priamo conditiones offerrem æquas, et, priusquàm armis decerneretur, res potiùs, si fieri posset, Græcos inter et Trojanos, consentientibus utrinquè animis, sine cæde componerem. Eâ quidem inter populos ratione semper agendum, eam temperantiam, etiam in bellis, adhibendam reor : neque aliter unquàm se Græci gesserunt. Nullum enim (vos, rerum humanarum summi judices et arbitri, Dii immortales, vos appel-

lare testes possumus), nullum nisi æquum Græcia nostra bellum suscepit; et, hominum vel non insontium sanguini parcendum arbitrata, quotiès placidè lites dirimere in promptu esset, à ferro abstinuit. Nunc quoque eâdem modestiâ, et eò majore utitur, quò major indignitas est: utpotè cui peculiaris heroum virtus clementia, et gloriosior erga contumelias atrocissimas mansuetudo, semper antè oculos obversantur.

Videte enim, Troës, quos possit triumphos referre, quos nolit; prospicitè è mœnibus vestris, quantos belli apparatus ad istam vindicandam injuriam adornaverit, quæ molita fuerit, quanta minetur, et quâ navium ac militum multitudine Europa, velut excita è sedibus suis, in Asiam irruperit. Longo ordine dispositas numerate mille puppes; cernite propè jàm in portis vestris superbientem viginti regibus exercitum, et dignos regibus ductoribus milites; exaudite fremitum castrorum, crepitus armorum, et bellicos virorum clamores, pugnam alacri poscentium fiduciâ, et jàm ferè vestræ urbis muros, propugnacula vestra, scandentium. Memineritis præatereà, quæ profectò ad vos fama perduxit, edita jàm à conjuratis Achivis præclara facinora, præteritamque gloriam prænunciam futuræ; captam scilicet ac vastatam Lesbon, lustratum victoriis Ægeum mare, et jàm monstratam terris Græcorum invictam fortitudinem: hoc fuit ad bella venientium iter.

Illas tamen expugnatas restituimus civitates, et quidquid belli fuit obliviscimur; illam innumeram

classem, aciemque jàm stantem in limine victoriæ, nullo conserto prælio, in Græciam reducimus; spes quàm pulcherrimas omittimus; omnibus deniquè firmam jucundamque pacem, salutemque vestram præferimus : flagitamus unum.

Helenam, injustè ac nefariè raptam, unanimi consensu Menelaüs conjux Græcique omnes reposcunt : Helenam reddere vestrum est, æquâ pœnitentiâ, sicut anteà turpi commisso, apud omnes innotescere, et sic infandam ignominiosi flagitii penitùs delere memoriam.

Quanta enim exsecranda, et sempiternæ oblivioni tradenda sunt! Quantum adversùs Europam admissum ab Asiâ facinus est! Argiva tellus externi principis audaciâ, et abominandi criminis aspectu contaminata est : contaminavit Trojanus. Divinas omnes humanasque leges, sacra omnia hospitum jura violari exhorruimus atque calcari : violata calcavit Trojanus. Uxorem amantissimo jàm pridem conjunctam marito, hospitem ab hospite raptam vidimus, et in longinquas regiones abductam : rapuit Trojanus. Tàm immanem, tàm effrenatam temeritatem nulla non indignata gens est; et, meherculè, inter Trojanos ipsos quidquid est virorum sapientium talia communi improbatione vituperant. Vos enim testor, ô cives : quis vestrum factum id laudet? quis etiam excusare velit? Nemo certè, quia nemo commisisset. Ergò, si vel exteræ gentes, ad quas ista nullo modo spectant; si vel hostes, raptoris populares, eam fœdi criminis infamiam infenso videant animo, quantò debuit co-

horrere magis, majorique irâ exardescere Græcia, quæ unius autæ dedecorata, et veluti ad bellum provocata fuerit! Propositum verò arripuit intrepida bellum; armata statim, Diis juvantibus, exsurrexit; et nunc, nisi sua restituatur sibi gloria, et illatum dedecus, et hostile flagitium hostilibus armis ac cædibus ulciscetur; prædam injustè raptam, vi et fortitudine, simul et jure rapiet; ac populos regesque servandam esse justitiam edocebit.

Omnes enim discent, ut privatis, ità etiam, et multò magis, regibus melius esse aliorum vereri semper jura, nunquàm violare. Nam, præterquàm quòd justitiæ, vel è terris exclusæ, principum animi deberent esse perfugio, tùm, eâ contemptâ, omnia malè, servatâ omnia feliciter eveniunt. Sed ubi misero casu, fatalique rerum ordine, contra fas actum est, saltem læsis quàm celerrimè satisfaciendum. Hoc jubet cunctis mortalibus propria insitaque virtus, jubet inviolabilis auctoritas legum, jubet Deorum veneranda majestas. Quod etiam quàm sit et exempli optimi, et maximi momenti ad bonos præsertimque publicos regum et gentium mores, id Priami decus simul et utilitas exposcunt. Illo animo, illâ famâ notus, profectò dignus Priamus est, qui cæteris exemplar imitandum proponatur; quem omnes meritis extollant laudibus, sibique principem exoptent; quem nati sui commissa resarcientem, et felicibus placidisque imperitantem civibus, admirentur. Digni vos ipsi estis, ô proceres, quos tantæ gloriæ socios participesque reputemus.

Hæc vos, si reddatis Helenam; sin minùs, mala horrenda ultimaque manent. An non videtis irruentes Græcos omnes, tanti sceleris inflammatos odio, contumeliâque stimulatos, et eò fortiùs audaciùsque ob iram justissimam pugnaturos, quantò firmior spes majorque est animus inferentis vim quàm arcentis, pro æquâ decertantis causâ quàm defendentis malam? An non audiistis etiam quo reges omnes viginti jurejurando, quùm Helena nuberet, Tyndarus pater adegerit, sese nimirùm illis capitales hostes fore, quicumque Tyndaridem conjugemque læderet? Hoc sacramento sese iterùm iidem, quùm rapta est, obstrinxerunt; hoc duce, Ægeum trajecerunt mare, et ad istud littus appulerunt; hoc modò sub Trojæ muris, et propè in ipsâ jam Trojâ, dirâ exsecratione confirmârunt; hoc brevì, nisi fiat jus, in hanc urbem irrumpentes, persolutis promissis, exsequentur: qui jus æquum non servat, in eum haud injusta vis est. Ergò, Trojani, libera vobis optio datur: si fas omne abrumpere stat fixum animo atque deliberatum, ad arma præcipites, ad arma conclamate; jam adest certaminis dies; aut Trojanis, aut Græcis pereundum: ad unum pugnabitur.

At si quis justitiæ vobis salutisque supersit amor, ne sinatis utrique simul populo tam sæva instare discrimina, istas perfringi portas, oppidum exspoliari, incendi domos ac palatia, trucidari cives; virgines, pueros rapi; omnia compleri armis, cædibus, cadaveribus atque luctu; vestrumque ipsum fortè regem ab impotenti victore mactari... Horretis,

Troës; vos regemque ista movent : at non fient, opinor; non adversùs græcam fortitudinem, adversùs Deos ipsos, violatæ justitiæ ultores, cæcâ temeritate dimicabitis. Si tamen suæ confidant virtuti, pactionemque renuant æquam nonnulli juventâ præfervidi, sese infestis aspiciant oculis; videant, quàm luctuosum per insulsam pertinaciam suæ patriæ exitium immineat; et ad meliora consilia, regis exemplo, revertantur. Ipse profectò suam totam deleri gentem, suos everti penates, vastum fieri Trojam sepulcrum, et unius ob filii crimen suos omnes promiscuè liberos interfici, Priamus non patietur. Te, Priame, te, per justitiæ inviolatam majestatem, per tuum populique decus, per tuam quoque populique salutem, Trojanum Græcus precor, efflagitatam Helenam reddas, et Achivos malis amicos quàm hostes experiri. En illa, illa pax, quam tu civesque tui tàm flagranti desideratis studio : Helenâ restitutâ, pax illa semper in posterum tua est.

CONCOURS DE 1808.

PRIX D'HONNEUR.

GLANDAZ, Elève du Collége Charlemagne.

Julianus imperator edixerat ne Christiani litteras colerent ; ab hoc consilio Libanius sophista quidam dehortatur.

Si non quantus sis, et quàm veri justique tenax optimè noscerem, ô Juliane, meam tibi fidem magnifico extollerem verborum apparatu ; tibi quot et quanta navaverim in imperium opera enumerarem ; sed istud et me pariter et teipsum dedecet : quippè tuam non semel exhibuisti justitiam ; ego verò justa posco : nihil ergò mihi à te metuendum est.

Nihil, fateor, mirum mihi magis visum fuit, quàm istius modi voluntas, quâ Christianos à vivis jàm diù remotos à mortuis etiam removes, quâ unicam spem, solatium unicum tollis, quin etiam vitam propemodò, quùm, ereptis illis, quibus à vitâ tædium arcebant, studiis, tristem illis desidiam, longam illam mortem animi tantùm relinquas.

O inauditum consilium! quod nisi ipse auribus audivissem, non sanè potuissem credere à tali principe fuisse conceptum! Nonne, quùm triste illud pronunciares edictum, animo occurrit illud indignum esse magno doctoque principe, quod vix ab immanissimo stolidissimoque omnium tyranno excogitaretur, qui disciplinarum illarum ne primam quidem nôsset litteram quas ipse tàm impensè coluisti, quasque nunc tantâ curâ, tantâ sollicitudine complecteris? Qui ad id natus esse videbaris, ut litteris patriam tuam illustrares, ad id imperator, ut litteræ tecum imperarent, ferocesque populi romani mores dulci commercio emollirent, tu litterarum sectatores litteras abjicere cogis; sicque surgentia paulatìm illius immensi operis fundamenta avellis nedùm confirmes!

Nôsti quanta gaudia, quantasque delicias litteræ hominibus afferant; felicis felicitatem augent, miseri miseriam leviorem faciunt. Quas, si vel felix aliundè vir deserere cogeretur, quas non effunderet lacrymas, quibus tanti mali auctorem desideriis lamentisque non increparet? Vide igitur quo dolore christiani afficiendi sint, qui nec potentiâ, nec honoribus, nec vanis illis, quæ homines delectant, ludibriis, recreantur! Vide quàm crudele sit et iniquum illos, ipsorumque præsertìm liberos nobili illo patrimonio orbare! Quibus sanè non satis erat in illo suo errore versari, nisi pessimæ illæ horrendissimæ barbariæ tenebræ ultrò offunderentur; non solùm illos altâ spissâque nocte circumvenis, sed etiam facem tollis

quâ juvante è tenebris exire potuissent, ut viam caligantes ingressi, è viâ caligantes exeant.

O triste supplicium! morte ipsâ vita intolerabilior! O quàm crudeles solvis ob errorem pœnas, misera gens! Haud magis illis faveo quàm tu, summe princeps; sed homo omnibus illis, quæ humanum genus afficiunt, malis afficior; mihi dolorem infligunt alieni dolores, lacrymæ alienæ lacrymas meas movent. At hoc quidem mihi levem inferret doloris causam, nisi hoc fato et felicitas christianorum et mei imperatoris gloria in discrimen adducerentur. Respice philosophos illos et virtute et sapientiâ toto imperio eminentes, tibi undiquè ingruentes, reposcentesque magnis clamoribus : cur tàm tristi christianos damnavisti supplicio? Respice illos posteros regum incorruptos omnium judices, heu quàm te horrentes! Frustrà tua egregia facta jactabis; suprema hominum menti semper præsentiora sunt; factorum ingentium immemores ultimum illud reminiscentur. Hoc edictum tàm turpe crimini dabunt; nomen tuum immortalitati consecrabunt inter pravos illos principes, qui ad id omnes animi sui vires intenderunt, ut populorum vitam felicitatemque cupiditatibus suis condonarent.

Sed divina humanaque jura misceantur, fasque nefasque confundantur; volo, dùm ista tibi, et imperio utilia sint; dùm ista christianorum exterminènt ex imperio romano religionem, aut sanè debilitent. At non tali facto vim illam superare poteris, quâ omnes ad christianam religionem cæco quasi impetu

impelluntur, illam virtutem quæ animos omnes captat et devincit. Neque enim, ut putare videris, Basilii, Gregorii, Diodori, Apollinarii, omnesque illorum sectatores, ex litteris solùm, quod omnibus ex æquo pateret, aut ex eloquentiâ, quos acris et vivida cupido accendit, sed et multò magis ex virtutibus quæ illis amorem et reverentiam conciliant, hauriunt vim convincendi. Exemplo meliùs quàm verbis probatur; movet animos viri boni conspectus; pravo homini vel pulchrè loquenti non fides habetur, bono creditur vel tacenti.

Proindè, summe princeps, nobilis à Christianis repetenda est ultio; cum illis de virtute decertemus; æquent Deorum cultores non pravas illas libidines quas ipsis poetarum vanitas affinxit, sed christianas virtutes, imò etiam superent. Qui tot tantasque acie reportârunt victorias, supremam illam reportent victoriam, et non minùs gloriosam; aut de religione imperii desperandum est.

CONCOURS DE 1809.

PRIX D'HONNEUR.

PETIT-JEAN, Elève du Lycée Impérial,
(aujourd'hui Collége de Louis le Grand.)

Arcadum legatus Platonem orat ut civitati Megalopoli leges instituat.

Quum Athenienses bellicâ fortitudine, sed præsertìm omni artium genere, cæteris Græciæ gentibus itâ præstare audiverim, ut invidiam gloriâ vicerint, inter quos, tu ipse Plato, tantùm philosophiæ laude et animi indole emines, quantùm illi omnes populos exsuperant, ego, Arcadum legatus, te oratum venio, ut tu, omnium philosophorum princeps, qui celeberrimum de instituendâ rep. librum edidisti, novæ nostræ ipsorum civitati Megalopoli leges scribas, ut aliquid ex istâ virtute et doctrinâ, quam præsentem intueor, percipiamus. Quod quidem feliciter cessurum spero, quùm mente reputo nihil tibi nec jucundius nec honorificentius esse posse, quàm in homines tantum conferre beneficium; deniquè te eumdem esse,

qui propagandæ philosophiæ causâ, ad barbarum hominem, imò ad tyrannum, per maria, tempestatesque, Syracusas te contulisti. Quantò potiùs nos, qui et genere et sermone Græci sumus, leges postulare debemus, quibus institutis, non dubito quin mea gens ad summum gloriæ fastigium evehatur. Tibi autem et nobis Dii dederunt ut immortalem gloriam consequamur, tu novam et rudem gentem legibus informando, nos verò leges à tali magistro accipiendo. Illud etiam dicere ausim, nullam gentem digniorem esse quam sic æternùm reddas beatam, nullam quæ magis sentiat quantum à te beneficium sit acceptura.*

Non ignoras, Plato, quùm gens quædam legibus vel optimis instituitur, eam plerumquè, utpotè cæterarum nationum commercio jàmpridem utentem, nonnullis, quod necessariò accidit longo usu, esse vitiis imbutam, ità ut ad legum latorum accipienda instituta minimè paratos habeat animos: nos verò naturæ primi veluti filii, quos nullum infecit adhuc cum improbis commercium, ad haurienda tua præcepta maximè parati sumus, quippè qui à naturâ nunquàm descivimus, humanos, hospitii colentes jura, artium amantes utilium, patientes laborum nos præstitimus.

Cæterùm, Plato, si verum est, quod minimè dubitari potest, Lacedæmonios, quorum fines hinc montibus, illinc mari terminantur, præsertìm ob loci dispositionem, quæ omnes ferè peregrinos ex eorum regione arcet, leges à Lycurgo constitutas semper incorruptas servavisse, nobis igitur Arcadibus, altissimo montium jugo undiquè circumdatis, et ità ab uni-

versâ Græciâ segregatis, ut in illo tanto ingeniorum ardore, nondùm etiam rudes animos deposuerimus, eadem causa est cur leges tuas fide et memoriâ semper servaturi simus. Certè ista ingeniorum asperitas, quam, tantummodò te duce, te auspice, exuemus, vel maximo erit argumento, nos leges tuas incorruptas sincerasque retenturos. Admonet me nostrorum finium descriptionis mentio, nos à Lacedæmoniis à meridie terminari, qui, ut Arcadum, ità Atheniensium sunt infensissimi. Itaque quùm Megalopolis fundamenta posuimus, id imprimìs spectatum fuit, ut tali propugnaculo, rebus nostris accisis, adversùs Lacedæmonios defenderemur. Sed attendas, quæso, quantùm vobismetipsis Atheniensibus ista civitas sit profutura. Lacedæmoniis enim ad isthmum corinthium tendentibus, et in Atticam belli molem inferentibus, per nostros fines sola via erit, quæ omninò ipsis intercludetur, nisi fortè Thermopylarum juga expugnare in animo sit; vobis autem, si, quod plerumquè accidit, à Lacedæmoniis lacessiti, bellum apud eos, ad propulsandam injuriam, inferre decernatis, per regionem nostram via patebit. Indè, Plato, intelligis quàm rebus vestris sit utilissima nostra amicitia, quantùmque tuis popularibus beneficium concessurus sis, si nostram civitatem, vi et armis conditam, legum auctoritate rursùs condere velis.

Illud etiam maximum et honoratissimum est, quòd Epaminondæ consilio, cui præstantem in leuctrensi pugnâ navavimus operam, urbem condidimus, et te, quo sublato nequicquàm condita fuisset, ad leges

petendas adivimus. Noverat vir ille, manu fortissimus consilioque præstantissimus, qui Thebanorum gentem afflictam erexit, id Lacedæmoniis maximo fore impedimento, si præpotens et valida urbs, velut arx quædam in eorum lateribus staret, et Platonem, qui unus ex universâ Græciâ cum tali viro est conferendus, solum esse qui civitatem illam legibus firmare posset.

Verùm enim verò, non te fugit quanti tuæ ipsius philosophiæ intersit, cujus te quasi ducem et signiferum præstas, ut quod postulamus concedas, quantaque tuæ auctoritati laus accesserit, si totam gentem philosophiæ legibus institutam ad meliores humanioresque sensus reflectas. Quanto autem gaudio apud elysios campos Socratis tui magistri manes perfruentur, quàm molliter quiescet, quàm vitæ dulcem fructum percipiet, quùm noverit se, in tuo animo tàm diligenter informando, pergratum humano generi munus concessisse, et te talem instituisse discipulum qui gloriam ab ipso comparatam amplificaveris! In quo, quùm multa sint laudanda, tùm nihil magis prædicandum est, quàm quòd forsitan fiet ut, perspectâ illius populi felicitate, sacra propagentur instituta, et legibus sanctissimis, quæ firmissima sint populorum vincula, pacatæ inter se gentes teneantur.

Quarè igitur, Plato, per tuum magistrum Socratem, te Arcades oramus, pro universæ gentis utilitate, pro tuorum Atheniensium commodo, pro Epaminondæ consilio, pro philosophiâ, quâ mortalibus imperante, nescio quid magnum et præstantissimum

soleat existere; ne nobis tale beneficium implorantibus invideas, ne nos Arcades, Græcos, Atheniensium tuîque amicos, barbaro homine, Syracusanorum tyranno indigniores judices, qui præcepta legesque accipiamus; sed votis annuas, ut Lycurgum Solonemque in universâ Græciâ celebratos famâ ac laude æquipares, et tuum nomen semper æquè ac Deos ipsos veneratione prosequantur Arcades. Noli respuere hoc laudis genus, quo majus unquàm offerri non potest; deniquè è tuâ memoriâ nunquàm excidat præstantissima illa sententia : populos tùm demùm fore beatissimos, quùm philosophia leges orbi præscribet.

CONCOURS DE 1810.

PRIX D'HONNEUR.

COUSIN, Elève du Collége Charlemagne.

Themistocles in concilio Lacedæmoniorum de constructis Athenarum mœnibus.

QUANQUAM ne ulla civitas extra Peloponnesum munita staret voluistis, Lacedæmonii, pro vilibus tuguriis locum ubi Athenæ fuerant ostendentibus, surgit civitas munitissima, et ipsum rei auctorem videtis. Quò fucum vobis certiùs facerem, diem de die protuli, traxique tempus. Nunc verò quoniam opus consummatum est, quoniam certas sedes illi tandem habent qui marathonicis, qui platæicis campis sanguinem suum pro patriâ profuderunt, hoc grande nefariumque scelus denuntio. Jàm vestri indignantur animi, jàm contra audaces ausus exsurgitis, proindè ac si quidquam justum magis ac legitimum esset. Consulite jura gentium, sanctissima consulite naturæ jura. Scio ego penates meos mox ab hoste crudelissimo

esse invadendos, eosque ab ipsius impetu tutos præstare mihi non licet! Hoc mihi datur crimini! Perfidus atque impius sum! Quod si nullum sibi populum consulere vultis, en indefensos fines muro circumcingite immenso, inexpugnabili!

Sin minùs, providere saluti suæ omnes sinite, ne socios incusate fideles, et respicite potiùs quid postulet domina illa et arbitra rerum omnium necessitas. Rursùm in Græciæ campos formidandâ potentiæ suæ mole ferocior Xerxes, præteritisque sævior cladibus irrumpat, nonne in Athenienses primùm procella illa detonabit? Quid nos, quid ipsius furori opponamus? Casas scilicet, fragilesque domos quæ natos conjugesque adversùs imbres tueri vix possunt? Igitur in exsilio, in fugâ, in cædibus iterùm versabimur, tanquàm non satis malorum à nobis dudùm fuisset exhaustum!

Quis in Græciâ locus nostro cruore non sæpiùs intepuit? Nondùm flamma exstincta est quâ miseræ Athenæ conflagraverunt. Cuinam excidit è memoriâ luctuosus ille dies quo deletam urbem ingressus Persarum rex super stratis aggestisque contruncatorum senum, et stupratarum mulierum cadaveribus, templa Deorum indignantium victosque penates spoliavit, diruit, extinxitque, dum intereà armati juvenes mare apud Salamina sanguine suo inundarent? Huccine conatus nostri recidissent, ut tot tantisque cladibus nostris alia modò pericula, aliosque labores nobis et toti Græciæ paraverimus? Ergò nunquàm dabitur justa requies? Ergò semper, infelix Græcia, tuos

agros desolatos videbis? Verùmenimverò tuis rediviva vulneribus nunc caput attolle; tuæ saluti consuluerunt; adversùs indefessum tuorum malòrum auctorem certum assurrexit propugnaculum. Sed quid ego? Dii immortales! Hoc commune consilium ad tutandam libertatem conceptum una rejicit ac detestatur illa civitas, quæ libertatem hactenùs constanter tutata est.

Quanquam quid metuere potest? Scilicet non satis magna dedimus terrâ marique nostri experimenta? At virtutem Atheniensium Græcia omnis concelebrat; nisi fortè vos credideritis meliùs pro patriâ incertâ, pro tectis pauperibus quàm pro certâ et stabili patriâ nos esse dimicaturos. Non ità: credite Themistocli, cives Eurybiadis; non ea hostibus munimenta exstructa sunt: quandiù sanguis per nostros artus ibit, nunquàm in Piræo Persa dominabitur, et qui Xerxem nostras domos ingredientem videbit dies, idem ille ultimum Atheniensem sub patriæ pereuntis ruinâ pereuntem aspexerit. Verùm, ô utinàm nihil aliud quàm Persarum exercitus Græcia reformidandum haberet! Ferro opponitur ferrum, et adversùs numerum audacia pro numero habetur. At successit Persarum loco, omnibus armatis hostibus multò magis metuenda pestis. Iidem illi bellatores, quos innumerabiles totius Orientis conjurati copiæ vincere non potuissent, malesuadâ ambitione vincuntur. Ubi sunt illi quondàm vitiorum non minùs quàm Persarum hostes Lacedæmonii? Cæteris hominibus tandem similes facti sunt. Illos jàm virtute potentiam quærere piget; nobilis illa nihil nisi pro communi utilitate

agendi consuetudo apud eos exolevit; sociorum imbecillitate ac ruinis ad occupandum (horret dictu animus) totius Græciæ principatum grassantur. En auditis, ipsi Lacedæmonii, ingenuè ac liberè loquor, vera quidem magis quàm grata, sed ea quæ nisi nunc dixero, forsitan ad integram communis libertatis incolumitatem seriùs aliàs confitebor.

Vos quid de me decernatis consulite. Sunt Athenis obsides qui, me tantùm in patriam remisso, Spartam redibunt, capite suo luituri quidquid in me contra jus gentium, animadverteritis. Non eas esse Athenas dudùm experti estis quarum legati impunè lædi possent; nec hodiè sanè experiemini : cæterùm etiamsi aliquid pejus morte illâ quam totiès in præliis pro patriâ, antè ora vestra adii, esset reformidandum, crudelissima quæque, ubi illa pro patriâ patiar, grata mihi et dulcissima videbuntur!

CONCOURS DE 1811.

PRIX D'HONNEUR.

HOURDOUX, Elève du Collége Charlemagne.

INSTITUTION LEROUX.

Quùm victores Pœni Syracusas obsidione cinxissent, et Agathocles se neque viribus parem, neque ad obsidionem ferendam instructum vidisset, bellum in Africam transtulit, ibique suum consilium militibus sic aperuit:

HAUD sanè ignoratis, fortissimi commilitones, quo in loco res nostræ sitæ sint; quàm gravi obsidione cincti, quibus impliciti periculis, quantùm saltem ad Siciliam nostram attinet victi prostratique, jaceamus. Diis unà stantibus, Pœnus victor nostra mœnia scandit; conjuges nostræ liberique castrorum hostilium fremitum è muris exaudiunt; jàm Syracusæ Carthaginiensium præda sunt, nisi molem illam ingentem, ultimo tanquàm edito virtutis opere, arceamus,

atque hunc belli terrorem à nobis ad victores ipsos transferamus. Nùm etenim fœdâ clade domiti, nos viri serviamus, quibus honestè vincere licet? Nùm in ipso patriæ solo nostras provincias plusquàm hostili rabie quotidiè expugnari æquo animo pateremur, quùm ad aliena flammâ ferroque vastanda certum iter pateat? Urbem hanc itaque defensoribus nudatam, quandò nulla spes domestica supererat, eâdem animi fortitudine reliquimus, quâ per tot annos adversùs Carthaginiensium impetus eam defendimus. Carthaginiensis igitur cuncta circa Syracusas habeat, dummodò Syracusas ipsas nosque armatos et indomitos non habeat; in subactos superbum exerceat imperium, dummodò de hâc hodiernâ possessione cràs illum detrudamus. Alibi libertas illa quæratur quam in Siciliâ frustrà quæras : migratio in Africam, hæc una via honesta erat ad libertatem et ad victoriam : migravi ergò in Africam, in Africam duxi exercitum, in Africam fortunam nostram Deosque transtuli : ut hîc melioribus ominibus quàm in Siciliâ nos acciperent, suæque violatæ majestatis ab æternis illis atque infensissimis hostibus gravissima piacula exigerent. Hîc, nisi fallax vates meus animus sit, hîc omnia, quæ nobis in patriâ defuêre, abundè suppetent; hîc cuncta deniquè occurrent, quæ vindictam nostram in ultrici terrâ morata sunt.

Aliter quippè domi, foris aliter bella tractantur. Domi ea sola adsunt auxilia, quæ patriæ vires subministrent. Quid verò, jàm patriâ repetitis cladibus debilitatâ atque exhaustâ, quid nobis auxilii sperandum?

Foris autem omne auxilium comparabitur, vel potiùs obvium erit. In suâ terrâ suis ipse viribus hostis ille vincetur, qui nostrâ in terrâ stat invictus. In Africâ nempè tanquàm in hostili terrâ Carthaginienses versantur; intùs maximus hostis insidet, intùs infestissimum bellum imminet, utpotè domesticum; intùs in crudelissimam infidissimamque gentem gravissima odia latent, quæ mox eruptura sunt. Omnes itaque socii, sive diuturni imperii odio, sive studio novarum rerum compulsi pro externis auxiliis eò impensiùs nitentur, quò diutiùs exspectata fuerint. Ad nos, ad fortissimos veluti suarum injuriarum vindices, læti confugient, nedùm amicitiam nostram respuant. Sic nostras intestinas clades externæ victoriæ excipient; sic et nostræ et alienæ causæ propugnatores fuerimus; sic gravem atque importunam dominationem excusserimus. Nam quis dubitat quin, postquàm consilia cum Africæ incolis communicaverimus, atque arma consociaverimus, quis dubitat quin repentè victoria juris nostri futura sit? Nisi fortè Africæ urbes non in montibus sed in planis campis positæ, nullis mœnibus, nullis cinctæ munimentis, præsidiis ac vigiliis vacuæ, illorum impetum sustineant, qui non semel munita oppida expugnavêre. Ast haud ità sanè, fortissimi commilitones, vobis non bellum sed repentina amicitia, et in communem hostem cum Africæ incolis societas erit. Quod quidem fœdus etiamsi amor non firmaverit, saltem excidii metus fidem alienam obligaverit. Proindè superbissimos illos nostrorum agrorum depopulatores oppu-

gnatum pergamus, uratur et invicem Africa, fiat belli sedes; ex Africâ eas vires et ad victoriam instrumenta, quæ non attulerimus victi, sumamus; in Africæ visceribus pestis illa hæreat quæ tandiù in nostris hæsit: in Africam clades, sociorum defectiones, vastationes agrorum, frumentorum inopia quæ nos urget, transferatur; in ipso Africæ sinu exardescat illud belli incendium quo nunc flagramus, et eò acriùs exardescat, quò majora vel à Pœnorum sociis nutrimenta suppetant.

Vicimus igitur, ô viri, quandoquidem omnia nobis ad victoriam incitamenta sunt. Nam ut omittam nostras direptas colonias, nostros egregios exercitus totiès occisione occisos, recentemque cladium memoriam quæ nos irâ, dolore, atque indignatione simul exstimulat, satis superque fugas, cædes, et omnia quæ victos manent, intactâ Africâ, passi fuimus; nunc et ipsi pro suis finibus superbissimi illi victores contremiscant; suo damno discant victos belli in alienam terram transferendi rationem edocere quàm victoribus sit luctuosum. Summo metu audiant Africam obsideri qui nunc Siciliam obsessam tenent; videant victos ultrò bellum victoribus inferentes, tantamque audaciam expavescant, hoc vulnere percussi concidant. Illos tandem externi belli satietas capiat, vel potiùs vastata Lybia illos in ipso patriæ solo pugnare cogat. Tùm Sicilia, tot abhinc annis vexata, continuis à cladibus aliquandò requiescet: tùm non tàm Africam invaserimus quàm Siciliam ipsam longâ liberaverimus obsidione. Non enim circa Syracusas con-

senescent, quùm sua urgeantur : neque, dummodò ipsorum Sicilia provincia fiat, Africam Siculorum provinciam fieri æquo animo passuri sunt. At quemadmodùm bellum è Siciliâ in Africam, ut nostra tueamur, transtulerimus, sic et illi, omissâ Syracusarum obsidione, ut sua tueantur, in Africam, ex alienæ terræ depopulatoribus suæ ipsius propugnatores repentè facti, bellum transferent.

Proindè arma capite alacres et spei pleni, neque jàm vestra defendite, aliena verùm oppugnate, injurias vestras ulciscamini, spoliatores vestros spoliate. Vobis patet opulenta illorum regio qui vestris opibus inhiant; cogitate ingentem prædam, dignam prorsùs vestræ audaciæ mercedem. Quid verò prædam ingentem atque alia hujusce modi præmia vobis jactantiùs referam, ubi de gloriâ immortali agitur? Prodigium illud universo terrarum orbi vulgetur, Siculos, Agathocle duce, nullam sævientis fortunæ vim, nullam cladem reformidare, cuncta audaciâ supergredi. Nostro scilicet exemplo (neque indigni sumus à quibus tàm præclarum exemplum incipiat) nostro exemplo istos quoscunque duces commonefactos velim, quos hostium numerus terrere posset, quomodò vera virtus, in ruinâ omnium rerum invicta et immobilis, cuncta humi strata erexerit ac sustulerit. Confessionem istam tùm hosti, tùm etiam posteris extorqueamus, nos Siculos eos solos mortalium esse, qui bella, quæ domi sustinere non poteramus, ad hostes transtulerimus, qui victi victores insecuti simus, simul et obsessores urbis nostræ obsederimus.

CONCOURS DE 1812.

PRIX D'HONNEUR.

MATOUCHWITZ, Elève du Lycée Impérial (aujourd'hui Collége de Louis le Grand.)

INSTITUTION MURAINE.

Taxiles ad Porum, ut malit Alexandrum sibi amicum habere quàm hostem.

ADDIXI me tibi fortunæ socium, Pore, et nisi me gloriæ meæ infestum credideris, existimare debes me tibi nil suasurum quod virtute et fortitudine tuâ indignum futurum esse videatur : quidquid igitur tibi nunc dicturus sum, non certè Alexandri orator, sed amicus dicam, amicum admoniturus ne humana fata sua cum divinis fatis velit committere. Scio equidem eum esse Porum à quo India, si mortalium ope defendi posset, defenderetur; sed nec illud me ignorare sinunt, quod quotidiè fama refert, eum esse Alexan drum, qui laboribus immensis et plusquàm humanâ fortunâ Deos in his terris repræsentet.

Implevisti hactenùs quidquid mortalitas capit; ne Deos nunc vincas, Pore, Dii ipsi prohibent. Cedendum igitur est fatorum necessitati, sed itâ cedendum est, ut, quam te bellicam laudem fata nunc adipisci non sinant, hanc tu aliâ, nec minore laude compenses. Est scilicet regibus, est alia quàm quæ armis comparatur gloria, et major quidem : quippè quæ non ab externis auxiliis, non ab opportunitate locorum, non à fortunæ inconstantiâ pendeat. Hæc una tibi post tot virtutis specimina quærenda superest, Pore; abripiat in longinqua bella Græcos patriâ extorres Alexander; per solitudines et arenas, per mille rerum pericula trahat: tu, quem armis superare nefas esse videtur, clementiâ in populos vincas; circumferat per Asiam exitium illud secum : tu domesticam nec cruentam laudem tibi compara, tuis parcendo. Jàm satis et super ostendit nobis Macedonum rex se fatalem esse virum; jàm satis Dii ipsi declaraverunt se ab ejus partibus stare. Scilicet incubuit subitò Asiæ tempestas teterrima, et per totum Orientem debacchata, obstantia quæque stravit ac delevit. Non vis armorum, non fluminum obices grassantis audaciùs Macedonis feros impetus fregêre. Nequicquàm bis victi Persæ bis ex cladibus et funeribus suis redivivos exercitus opposuêre; concussa illa imperii moles, et fatis urgentibus in præceps impulsa, tertio ictu tota corruit. Et hìc mihi quisquam humanis hæc omnia opibus acta esse dicet? Pauci milites procùl patriâ, nullâ auxiliorum spe, etsi non aliter at certè vincendo defessi, innumeras et novas usquè copias profligaverunt, dissipaverunt, deleverunt: et ipsos Dii

non adjuvêre? Non numine suo quasi circumsepsère? Qui olim Persarum partem in Græciâ vix debellavêre, nunc Persas omnes in propriis regnis vincunt et pessumdant : nec tu vides adhuc, Pore, te, illos petendo, Deos omnipotentes impugnare?

Jàm verò illud quod Jupiter Alexandro filii nomen obtulit, quid aliud quàm ipsi perpetuam victoriarum seriem, et hostibus ejus cladem ac exitium portendit? Adversùs fatales illos viros qui te Dii defendent? Elephantos scilicet invicto Macedonum robori oppones, perindè ac si viri, quos nulla periculorum ac laborum facies, non mortis etiam aspectus terruit, belluarum corpora et inanes ululatus debeant expavescere? At flumina saltem cursum illum remorabuntur : quasi verò apud Granicum non tàm flumen quàm Persas vicerint Macedones? Quasi Darium Euphrates ab imminenti clade defendere valuerit?

Quid igitur sibi volunt hi belli apparatus? Quid ista, quæ comparas, præsidia? Tune invito Alexandro Alexandrum hostem habere vis? En ultrò triumphalem, quasi adductis habenis, currum sustinet, ut tibi honestissimas pacis conditiones offerat. En, debellatâ Asiâ, quærit quo maximè modo possit illud, quod adversùs victores victis, adversùs Græcos Persis natura ingenerat, odium debellare. En quos vicit armis, beneficiis aggreditur, et amicorum præsidia circumspicit. Tune solus patriæ tuæ magis quàm hostes infensum te præbebis? Tune in Indiam cædes, incendia transferendo, tuos vis à famulatu vindicare? Ad meliorem aliquandò mentem redi. Quòd si armorum vi sub-

jectos hostes tàm benè habet Macedo, quibus tandem beneficiis cumulabit regem, in quem nulla quidem victoriæ jura habebit; quàm verò fortis nempè fortem magni faciet?

Per ego te igitur decus tuum, per utilitatis tuæ rationem, per amicitiæ jura oro et obtestor; noli inter certa et incerta, inter dedecus et gloriam, inter tuorum salutem et excidium ambigere; fac adesse gentem tuam, adesse Asiam omnem, et te cum lacrymis obsecrare, ut liceat sibi tandem aliquandò ab armis respirare, à belli furoribus requiescere, et oblatæ pacis fructus decerpere. Tene pœnitet tuos hactenùs felices præstitisse? Tene pœnitet tot annos honoribus plenos peregisse? Tene pudet integrâ semper laude floruisse? Eòne vis Deos, adversùs ipsos insurgendo, adigere, ut tibi uno die quadraginta annorum decus adimant? Ambitionis insimulas Alexandrum; et ipse ambitiosum magis te præbes, utpotè qui non satis existimas humanam tibi gloriam quæsivisse, nisi Deorum laudem æmuleris. Quin potiùs age, regem Macedonum adi; illi non indignum triumphis offer laudis tuæ consortium; quam inter egregios virtutum societatem natura ipsa instituisse videtur, hanc tu novo constringe vinculo; fœdus ini, dùm ità inire licet, ut tuum virtutibus expugnâsse animum, non arma armis debellâsse videatur Alexander; fœdus ini, et ab amico spera quidquid tibi ab hoste metuendum fuisset.

CONCOURS DE 1813.

PRIX D'HONNEUR.

TONGARD-BOISMILON, Elève du Collége Charlemagne.

INSTITUTION MASSIN.

Legatus Atheniensium à rege Persarum auxilium adversùs Philippum petit.

Populus te Atheniensis, maxime rex, precibus hodiè, non jàm armis aggreditur, gratiàm tandem Persarum experturus, quorum vim satìs ad hanc diem expertus est. Quòd si eò venturi eramus, ut tui olim egeremus auxilii, utinam nulla unquàm inter nos odia invicem exarsissent! Sed quoniam ea mens fuit patribus nostris, ut virium inter se periculum facerent, quod ne eveniret non in te fuit; hoc tu nunc potes corrigere, si reputare nempè volueris, sæpè ex acerrimis hostibus socios existere fidelissimos; si plùs apud animum tuum recentia fœdera valuerint, quàm simultates vetustate jàm exoletæ, quas eò tu libentiùs

oblivisci debes, quòd nunc tibi vertunt in opimam laudis materiam. Egregium sanè tibi triumphum dederunt, quòd, qui cum patre et avo tuo totiès dimicaverimus, iidem nunc ad te ultrò veniamus opem imploraturi. Pulcherrimam hanc igitur victoriam amplectere, in quam non invidia cadit. Dignus es qui susceptæ in tutelam Græciæ titulum malis, quàm titulum Græciæ armis debellatæ; qui, adversùs hostes armatos ácer et invictus, idem in jacentes benignè consulas. Jacemus enimverò : fuit hæc illa civitas quæ asiaticos olim impetus suo robore non semel contudit. Recessisse à nobis videntur, custodes quondam Athenarum, Superi. Misereantur Græciam Xerxes ipse et Darius, neque, conspecto civitatis nostræ statu, injuriarum suarum crudeliores ipsi pœnas sumere velint. Amissis omnibus, solus superest nobis, quò miseriores simus, amor libertatis. Quid nos scilicet juvat Persis et Lacedæmoniis in perniciem nostram conjuratis non semel restitisse? Quid tot victoriis profecimus, nisi ut dominus gravior ex improviso in nos insurgeret? Jàm non de gloriâ, sed de salute, imò de libertate nobis dimicandum est. En Philippus ex intimis Macedoniæ recessibus, tanquàm fera è latebris erumpit, si regnum fraude paratum, per fraudem amplificare possit! En bellum non acie, sed per injurias meditans, auroque magis et perfidiâ, quàm ferro et virtute fretus, ipse jàm urbes et agros nostros præsumit, diemque avidus circumspicit insidiis! Minitatur servitium toti Græciæ vir Macedo; ne inter Græcos quidem numerandus. Ergòne Athenas Philippo ser-

vaverit patrum nostrorum virtus! Et audebit ignotæ modò gentis regulus quod frustrà Xerxes et Darius tentaverant! Hoc non minùs tibi quàm Persis deforme, quàm luctuosum sit Atheniensibus.

Vellem equidem in hoc discrimine, ut in cæteris prioribus, satis valere propriis viribus ad periculum propulsandum Athenienses; qui, quandò alienis obnoxii sunt opibus, neminem magis optaverint nobis datum, à quo auxilium precaremur : quòd si annueris, neque nos accepisse, neque te præstitisse rursùs pœnitebit. Nos, quanquam rebus nostris magna promissa parùm conveniunt, nulli omnium populo cedimus rerum gestarum, aut litterarum artiumque glorià. Quæ utrùm nomini tuo accessura, an nulla usquàm futura sit, tuâ in manu est. In auxilii præsentis mercedem decus immortale afferimus. Jube tantùm longo se Athenas luctu exsolvere. Vigeat sub præsidii regii umbrâ reip. libertas; maneat per te incolumis, quæ Asiatico et Peloponnesiaco bello superfuit urbs nostra, Græciæ princeps, Musarum et Minervæ domicilium; neque minùs tuam salutem saluti nostræ, quàm gloriam gloriæ conjunctam credideris. Erras, si intra Græciæ fines arma substitura Philippi arbitraris. Suprà quàm nos sumus ascendit Macedonis viri cupiditas; neque simul pacem cum Persis et dominationem in Græcos sperat. Nunc Athenas tantùm aggreditur, nos primò servos, mox et instrumenta servitutis adversùs alios habiturus : nisi fortè, qui, solis opibus Macedoniæ fretus, Græciæ affectare imperium ausus est, non audebit idem cum

totius Græciæ viribus Asiam appetere. Cave si primò cunctatus fueris, ne pœnas olim à te Philippus exigat, quòd ipsi peperceris. Iste est, qui metu alieno quàm virtute suâ superbior, terret, nisi paveat; qui, nisi à te oppressus fuerit, te forsan oppressurus est: qui, dùm in occupato per dolum fastigio nutat etiam nunc instabilis, modò belli speciem ostenderis, brevì suos intra montes compelletur, ut adversùs nos ferox; sic infra tuam jacens magnitudinem.

Per te igitur recentium memoriam fœderum, quibus tamen minùs quàm benignitati tuæ confidimus, per ingenitam vel hostibus miserationem, per et decus tuum, et Deorum incolumitatem; Græciæ hostis quondàm, nunc supplex obtestatur ut experiri velis, an meliùs sit beneficio nos, quàm bello tentare; ut arma satis adversùs nos spectata, jàm tandem adversùs hostes nostros convertas. Sentiat ferox ille Macedo se majora quàm capiebat sperâsse; aliud esse civitates diutiùs discordiis fessas dolo aggredi, aliud in acie adversùs regem, non opibus magis quàm virtute pollentem decertare. Nos tuo potiùs munere devinciamur quàm Philippi addicamur imperio. Potiùs regem Persarum custodem quàm regulum Macedoniæ tyrannum habeamus.

DEUXIEME PRIX.

ANCEAU, Elève du Lycée Buonaparte,

(aujourd'hui Collége de Bourbon.)

INSTITUTION BUTET.

Même sujet.

Si unquàm fata, quibus omnia reguntur, incusari debuerint, illo certè tempore incusanda fuerunt, quo inter duos populos potentissimos, eâdem virtute, eâdem magnanimitate commendandos, bella crudelissima exarsêre, et utriusque gentis sanguine terra inundavit. Sed quùm, nonnisi bonos inter et malos perpetua sit discordia, et quidquid ex malis quasi seminibus ortum erit, naturâ intereat, nostra odia consumpsit vetustas temporum; quin etiam utriusque populi majores, quùm suas posteris virtutes et animos cum sanguine transmisissent, has inimicitias, utpotè quas improbent, secum in sepulcro recondi voluerunt. Accessit renovatæ gratiæ fœdus illud sanctissimum, quod ante Deorum communium aras, gaudentibus ambobus populis, ictum est; et videre fuit Athe-

nienses et Persas; ut eâdem virtute, sic iisdem votis bellum ineuntes.

Testis illa egregia pugna navalis, Conone et Pharnabazo ducibus, commissa, quâ, quùm Lacedæmonii fusi fugatique essent omnes, Asiæ civitates ab illis defecerunt. Hoc prælium, maxime rex, tibi et tuæ genti in æternum nostram voluntatem conciliavit. Quùm enim tot in recenti adversùs Lacedæmonios bello beneficia in nos contuleris, quid est quòd de nostrâ fide dubites? Nam apud bonos ut injuriæ memoria brevì abolescit, sic meritorum vivax gratia semper valet; nosque Athenienses non minùs amicis fidi quàm hostibus graves solemus esse, et beneficiis referendis turpiùs quàm armis vinci existimamus.

Sed quid ecce loquor, tanquàm miserandus civitatis status non satis per seipsum satis loqueretur? Hei mihi! quò patriæ reciderunt Athenæ? Illa, illa, inquam, civitas, quæ olim ad summum rerum humanarum fastigum evecta, militibus terram, navibus mare implebat; cujus, quocumquè nomen famâ delatum erat, arma quoque penetrabant, nunc in profundum miseriarum adducta, accisis viribus, quasi manca et debilis jacet; nec in altum profuit surrexisse, nisi quò lapsu graviore rueret. Qui totum terrarum orbem victoribus lustrabamus exercitibus, jàm intra nostros ipsorum fines vix tuti sumus; et à quibus terror latè injiciebatur, ipsis fortè hostibus miserationem movemus.

Neque Athenienses soli his laborant malis; verùm enim verò universi etiam Græci de se, de liberis et

conjugibus suis, de vitâ, et, quod viris graviùs est, de libertate suâ agi vident; nec jàm ullo modo, quæ impendet capitibus suis, procellam avertere se posse intelligunt. Ecce enim ex Macedoniâ emersit vir acer, callidus, labori ut cæteri mortales, quieti inimicus, ità ambitiosus, ut viam, quæcunque ad aliorum possessiones occupandas ferat, libens exsequatur, nullo labore movendus, nullo periculo deterrendus, nullo fœdere continendus, modò palàm, modò occultè, nunc auro, nunc ferro sua consilia perficere solitus, variis quidem artibus at semper æquè timendus. Quis nescit quàm multa jura prædo ille, cujus avi nunquàm è latebris suis et obscuris sedibus egredi ausi erant, in ipsius Græciæ luce extorserit? Quàm multa aliorum æraria expilârit? Quàm multas arces oppidaque in Chersoneso, et in Thessaliâ, et in Phocide, et in omnibus Græciæ partibus occupaverit? Ità deniquè ille per hosce annos se gessit, ut majora efficeret quàm quæ adhuc reliqua sunt ad Græcos submittendos, et totius Græciæ imperium jam spe præcipere videatur; nos verò qui anteà aliis opitulari solebamus, alienis opibus et auxiliis indigemus.

Quæ quùm tuam, maxime rex, cùm mansuetudinem, tùm potentiam notam haberemus, à te non dubitavimus auxilium petere, rati tantum principem, maximo terrarum imperio dominantem, non suis tantùm sed etiam alienis consulere; et quorum rex non est, eorum saltem esse servatorem, et posse id suæ ducere dignitatis.

Quantam enim, quàm celebrem in toto terrarum

orbe atque apud gentes vel remotissimas laudem tibi comparaveris, si Græcorum civitas princeps, Musarum hospitium, tantorum virorum mater à te fuerit restituta; si vitam, si libertatem suam tibi se debere memoriæ mandaverint Athenienses; si deniquè quidquid in hâc urbe et magnum et pulchrum extiterit, ex te oriri, tuum quasi esse cuncti fateantur! Quod majores tui maximum nomen ex Atheniensibus cum suâ urbe extinctis ducturi fuerint, nonne tu multò majus ac diuturnius nomen restitutâ hâc eâdem civitate habebis? Non enim marmora tantùm et tropæa quædam gloriam tuam testabuntur; sed ipsa urbs, dùm stabit, imò quicunque in his mœnibus nascetur, præclarissimum erit tibi monumentum.

Quid verò? si quod decorum est idem utile sit? Tua quidem, maxime rex, potentia numerosissimis gentibus, immensis opibus, florentissimo imperio, et quod maximum est, et amore et fide tuorum, quos tibi illâ tuâ humanitate conciliâsti, firma et solida constat. At rerum incerti casus: si unquàm Philippum toti Græciæ jugum imponere siveris, quantum viribus ejus accedet incrementum! Quid tum rex ambitiosus, fortunâ secundâ ferocior, tàm arduum existimabit, quò non pervenire possit? fortè (sine me tuâ ipsius causâ liberiùs loqui) fortè ille idem Philippus aut Alexander filius, quem non minori jàm ambitione quàm patrem accensum referunt, collectis Græciæ et Macedoniæ copiis, in tuas diruet provincias et te..... Mihi crede per Græcorum pectus sanguineam sibi Philippus viam ad Persas aperire conatur. Si hùc res

devenerit, spero equidem prædones immanissimos, populorum cœlique auxilio fretus, repelles ; at dimicandum erit, et jàm non tutus est qui dimicat.

Quæ quùm ità sint, per ego te, maxime rex, datam acceptamque fidem oro atque obtestor, Græcis opitulare, et nos solii tui umbrâ tege, ut quondàm Themistoclem ille ipse Xerxes, qui multa ab illo aspera passus erat, domi excepit : eodem honore decoratus, eamdem ostende generositatem. Ne patiaris à sævo tyranno nos in servitutem redigi, agros nostros, nostra tecta, nostras urbes flammis ferroque vastari, et totam Græciam Macedoniam fieri. At potiùs arma nobiscum in gentem impiam consocia, præclarissimam laudem consecuturus, et memor te non magis pro nobis, quàm pro te ipso esse pugnaturum.

Veni ; vinces. Non enim tàm debiles Græci sumus, ut, si unius ducis auctoritate in unum collecti, et tanti imperii viribus adjuti, bellum inferimus, non facilè regulus iste debellari queat ; nam metu et terrore sui eum socii, non amore sequuntur ; hæc autem infirma fidei vincula. Quid est igitur quòd dubites nobis adesse, et incendium illud, quo totus terrarum orbis olim conflagrabit, ipsius qui excitat sanguine restinguere ?

CONCOURS DE 1814.

PRIX D'HONNEUR.

DE JUSSIEU, Elève du Collége de Henri IV.

INSTITUTION DABOT.

Legatus Parisiensis ad Carolum quintum, Joannis Gallorum regis filium, ut in urbem regni primariam redeat.

TANDEM aliquandò filium Joannis salutare nobis datur, oculosque seditionum ac discordiarum visu diù fatigatos legitimi atque optimi principis intuitu recreare. Sed quanquam gratissimus sit nobis, maxime princeps, ille tuus aspectus, tamen non sine aliquo pudore coram te processimus, reputantes scilicet nos ex istis esse Gallis qui te patriâ regnoque abscedere coegerint, ac meritò tuam omnem iram atque ultionem experirentur, si irasci novisset, si ulcisci Carolus. Tu, dùm pravis quorumdam consiliis abrepti in pessima quæque Galli ruerent, Gallos nocentes interdùm fieri

posse, scelestos non posse cogitâsti; tu, dùm sibi ipsis infensi, exsilium regibus propè æternum minitarentur, iram istam aliquandò deflagraturam, atque ipsos ad suam mentem redituros speravisti. Nunc errore tandem, ut vates spondebat animus, liberata, gratias habet tibique persolvit Gallia, quòd nunquàm de patriæ salute, nunquàm de tuorum amore desperaveris. Crede, maxime princeps, non defuisse inter nos qui spem eamdem animo foverent; qui reditum principis optimi votis maturarent; qui te frustrà gallicos campos respectantem, et ad tuos redire cupientem, et passìm exsilium regale circumferentem, te tuorum sanguine respersum, scissis in contraria studia militibus ægrè imperantem dolerent; qui deniquè magnum illud Galliæ corpus truncum et capite suo orbatum non sine luctu et lacrymis intuerentur.

Fuit illud paucorum, non totius Galliæ scelus; ubi enim magnâ quâdam calamitate patria conflictatur, boni omnes in dolore suo quasi torpescunt: atque excusso tandem torpore, malos factos intereà præpotentes, atque omnia vident esse perturbata. Cujus rei, maxime princeps, triste nos posteris erimus exemplum. Non satis fuit nobis campis pictaviensibus milites nostros vidisse debellatos, vidisse Anglos de rege in captivitatem abducto triumphantes: nos infelices querebamur, nec quidquam gentis debellatæ atque suo rege orbatæ malis accedere posse credebamus, tantam illam cladem, malorum non cumulum, sed potiùs causam ac præludium esse mox experturi. Hinc

enim grassata per plebem seditio : hinc supremam propè potentiam adeptus homo omnium, quos terra sustinet, turbulentissimus, hortator scelerum, qui civem unumquemque ad cædem arbitrio suo notaret ac designaret, qui virorum optimorum cruore Galliam funestaret, prætor Marcellus : hinc agrestium furor et rabies Jacobæana : hinc deniquè ignes castellis admoti, proceresque ex ædibus incensis fugati ; et quàm vexati afflictique Carolum, finem nostris impositurum miseriis, vocaremus, Caroli caput sacerdotes diris devovebant, si fas sacerdotes appellare fuerit istos, qui omnia divina humanaque jura obliti, non jàm numinis, sed hominum sceleratissimorum ministros se præberent.

Alia delegit Deus ille tutelæ regum atque Gallorum, alia sanctæ voluntatis instrumenta. Ipso jubente, vir è medio populo surrexit, qui decretis cœlestibus inscius famularetur, Galliamque ab exitio imminente retraheret. Jàm propinquabat rex Navarræ, Carolus, Lutetiam per dolum ingressurus : jàm stabat Marcellus aditum urbis, regibus legitimis præclusum, externo regi patefacturus. Actum erat de Galliâ ; vir à Deo impulsus adest, Marcellum ferit : Galliaque lætatur incolumis. Seditionem hanc tàm formidandam, quæ jam diù conflata, tempore confirmata, latèque diffusa, nonnisi longis ac repetitis multorum conatibus opprimenda esse videbatur, una dies, unum temporis punctum, unus vir, unus ictus oppressit ; atque exstincto fomite, deflagravit subitò vastum illud incendium quo

totam gentem rebelles prædicabant exarsuram. Omnes cives pacem sibi gaudent restitutam; agrestes, sedato furore, positisque armis, sua rura jàm repetunt; belli cupiditas magis ipso bello compressa.

Omni seditione ac discordiâ liberatis, in placido tandem statu respirantibus, quid nobis adhuc superest desiderandum? Scis, optime princeps, solus-que potes nostræ cumulum addere felicitati: urbs regni primaria regem suum efflagitat; efflagitant omnes civitatis ordines; efflagitat ipse Navarræus: neque jàm ultra mœnia parisiaca dominari, sed tecum fœdus cupit inire: non jàm tuum solium affectat, sed tuam amicitiam.

Quid te remoratur adhuc? Cur Parisienses tuos patrem absentem cogis tandiù dolere? Adsis, arrectamque omnium impleas exspectationem; adsis, lætitiamque nostram, et quietem stabilire tuo reditu velis, atque amplificare. Nunc hodiè patet, quàm amico lumine Gallos Deus immortalis aspexerit, qui ad nobis auxiliandum geminos emisit fatales viros: alterum, qui manu caput rebellionis abscinderet; alterum, qui sapientiâ omnia rebellionis aboleret vestigia, Gallisque unà suum regem, suas leges, suum decus, suam redderet libertatem.

Ea spes animos omnium erigit: omnes virum illum ardent intueri, ex quo salus ipsorum pendeat ac felicitas. Ac quanta lætitia sit omnibus è tuo reditu ventura, judicare potes, si respexeris quanta jàm ex unâ tui reditûs exspectatione venerit. Quâ frequentiâ

omnium generum multitudinis credis me illinc profectum? quàm omnia votorum gaudiique plena reliquisse? Nunc alii floribus vias sternunt, ædesque festivis obvelant tapetibus; alii stant extra portas, viam hinc ferentem prospectantes, ut Carolum suum quamprimùm aspiciant, ac circumcinctum plausibus et gratulationibus prosequantur; alii deniquè templa obsident, numenque supremum, ut diù intersis populo parisiensi, ut vita tibi longa fluat fortunataque, precantur, non ut tibi virtutes regias Deus ingeneret: sciunt enim te omnibus illis instructum, nihilque ut laudi tuæ sic ipsorum felicitati, te imperante, defuturum. Quid enim ex illo principe non exspectandum, cujus ex adversis purior virtus emergit, qui, naturâ et infelicitate magistrâ, memorandum sui patris dictum probavit, fidem scilicet, si inter homines exsularet, in pectore tamen regum hærere, atque habere domicilium debere?

En verò ostendes, maxime princeps, regale pectus non fidei modò, sed clementiæ, sed æquitatis, sed fortitudinis esse sacrarium; et nos testari quoque conabimur, non omnes à pectore subditorum virtutes abesse, atque hanc inesse præsertìm, quæ beneficia sentiat, quæ regi de nobis benè merito pietate nos devinciat inviolandâ. Quàm intùs fortunata florebit, quàm exteras apud gentes formidata Gallia clarescet! Regem aïunt invictum esse quem sui dilexerint; quis te, Carole, quis hostis vincere jam poterit, quis audebit lacessere, amore nostro circumseptum? Vel quæ

gens nostræ non invidebit felicitati, quùm Galliam legibus optimis compositam, atque omni bonorum genere abundantem aspiciet; quùm nullum aliud erit regem inter et subditos certamen, nisi utrùm ille plura in subditos beneficia congesserit, an hi beneficia regis libentiùs acceperint, majusque retribuerint obsequium?

CONCOURS DE 1816.

PRIX D'HONNEUR.

JACOB RINN, Elève du Collége de Bourbon.

INSTITUTION BINTOT.

Liberatâ Persarum jugo Græciâ, Lacedæmonii recentibus elati triumphis, totius Græciæ affectabant imperium. Tùm prudentior quidam Spartanus cives suos tali dehortatur ambitione, graviter suadens ne Lycurgi legibus obtemperare desinant.

Si in illâ civitate et apud illos homines verba facturus essem, qui, aut potentis unius, aut infimæ plebis tyrannidi turpiter obnoxii, ex ipsius servitutis veluti sordibus sæpè animos ad affectandam dominationem erigunt; altiora, quàm ut depressæ servitute mentes caperent, consilia animo comprimerem, nec suæ oblitis, alienam sacram fore libertatem, nec omnia suæ libidini posthabentibus, quod jàm in manu po-

situm esset imperium omitti posse sperarem : sed vos, ô Spartani, alloquor, quibus laudem sequi ea lex, virtutem colere ea utilitas, liberos esse id demùm imperium est. Nulla quidem alii cuilibet populo opprimendæ Græciæ, nulla honestandæ reipublicæ, nulla firmandarum legum major unquàm opportunitas. Quibus enim artibus ad hanc diem libera et intemerata floruit spartana res? Quibus institutis ad illam laudis amplitudinem erecta est? Ambitione scilicet, an continentiâ? Invadendo externa, an sua defendendo? Servitute alienâ, an propriâ libertate? Sic nos instituit Lycurgus, ut Græciæ imperium Græci affectaremus? Ideò nos liberos esse voluit ut liberis gentibus nostra dominatio incumberet? Ideò à se latas ad patriæ libertatem leges longo exsilio et generosâ morte confirmavit, ut violatâ jurisjurandi, quod profecturus exegerat, religione, ab ipsius mandatis in suam perniciem ac ruinam Sparta decurreret? Quàm benè sapientissimus ille vir præceperat, ne exercitus nostri à Peloponneso discederent! Senserat ille, quod nostris à mentibus prosperæ res excusserunt, solâ virtute stare liberas civitates; magnis imperiis, longinquâ dominatione mox opprimi civitatum libertatem. Quòd si nos feliciter gestum in Persas bellum ad id jàm adduxerit, ut de contemnendis illis veteribus civitatis nostræ legibus deliberetur; quidnam futurum censetis, quùm experta illa adversùs Græciæ hostes arma, nunc in consanguineos et in communem Græcorum omnium tellurem conversa, immensum paucorum spei ac cupidini campum aperuerint? Scilicet inter impii

belli furores manebit adhuc antiqua illa morum integritas? Inter affluentes undiquè devictorum opes, privatorum ambitio et avaritia conticescent? Imò non jàm eadem est civitas, quam eamdem esse diutiùs piget. Quin intempestivas, et fortassè majoribus nostris observandas, in meliori sæculo nati, leges proculcamus? O amentem Leonidam! ô imbecilles ejus socios! ô stultos Persarum victores, qui iis legibus obtemperârunt! Nos fortiores viri, nos ad majora nati, supra vana ista inertium animorum impedimenta assurgamus! Bonis malisque artibus, superbiâ, scelere, perfidiâ, nostrâ etiam servitute, ad principatum grassemur. Pereat omnis libertas, dùm toti simul Græciæ pereat; servire omnes, quàm omnes liberos esse præstat.

At herculè, nisi ipsi ab illâ antiquâ fortitudine et virtute degenerâssemus, optaremus hodiè aliam reipublicæ formam, alios mores, quùm Lycurgi sub nomine et ipsius legum umbrâ, in tantum nomen res spartana creverit? Nonne potiùs, exemplo majorum, alias Græciæ gentes famâ rerum gestarum, non tyrannide antecellere contenderemus? Imperent aliis, qui sibi imperari patiuntur. Affectent Græciæ dominationem, qui dominorum ipsi nutus insolentes subire consueverunt. Nos ipso in libertatis sinu nati educatique, nonne id potiùs præstare deberemus, ut omnia circa nos libera, omnia jugi immunia forent? nonne, ut oculos ipsos à contactu dominationis inviolatos haberemus? Nonne arma ista, ista auctoritas nobis adversùs Persas commissa, in regem barbarum ver-

tenda sunt, non in Græcos, non in eos, qui se tutelæ nostræ ac fidei hactenùs inviolatæ commiserunt? Hoc unum superest, ut barbaris ipsis ad debellandam Græciam sociis uteremur, et qui, majorum exemplo, regi Persarum Græciam eripuimus, nunc Athenienses marathoniis in campis, Argivos juxta eorum sepulcra qui cum Leonidâ occubuêre, Platæenses ultra hinc incensam persicis flammis urbem, hinc exstructa post communem victoriam è Persarum spoliis tropæa, opprimeremus. Proh Deûm hominumque fidem! Quorum ope et auxiliis, quorum dextris barbaricum à cervicibus nostris jugum depulimus, iis nostrum imponeremus! Erubescant profectò in inferis tot fortissimorum virorum umbræ olim in ipso Xerxis tentorio pro communi salute oppressorum, si virtutis suæ laudisque socios exprobrantes audiant, se igitur Leonidam secutos ad mortem, ut civibus, post suum funus, non libertatem, fusis debellatisque Persis, sed jugum et servitutem, victoribus Lacedæmoniis, pararent!

Et adhuc sic ego loquor, quasi cessura pro votis res certè ac sine periculo foret; quasi qui Darium et Xerxem in se ingruentes, et irruentem totius Asiæ è sedibus suis excitæ molem sustinuerunt, non iidem adversùs socios nuper periculi sui, omni opum vi ad tuenda majorum decora et suam libertatem, pugnaturi sunt. Imò antequàm Miltiadis filium, Persarum victores, cives Themistoclis et Aristidis frontem jugo nostro subjicere coegerimus, multa nobis adversa esse possunt quæ commemorarem, nisi aliquid timere indi-

gnum Lacedæmoniis, et aliud quàm laudem et decus intueri apud Lycurgi et Leonidæ posteros inusitatum videretur.

Quid igitur diutiùs in eo moror, Spartani, quod meliùs me ac significantiùs vera urbis utilitas, splendor, decus, exempla majorum, tot vestra civiumque vestrorum facinora suadent? Quid ipsi adhuc suspensi hæretis? Si vobis ulla Lycurgi memoria, si vestræ salutis, si gloriæ istius tot laboribus, tot bellis, tot virtutibus quæsitæ superest cura, nisi demùm vana ambitio vestris auribus officiat, audite vocem patriæ, audite cultorem spartanæ laudis, audite defensores Græciæ inclamantes: satiùs esse ac pulchriùs supra liberas gentes famâ virtutum et facinorum laude assurgere, quàm in servitute jacentes inferiùs quoque jacentibus incumbere. Imponite fortunæ vestræ frænos, nisi eam elabi et effugere vultis; absistite hoc imperio, quod vos in ruinam præcipites daret; revocate demùm hunc exercitum Græciæ totius cervicibus impendentem, nisi vultis exstructum altiùs hujus civitatis fastigium, erutis quibus innitebatur fundamentis, corruere.

PREMIER PRIX DES NOUVEAUX.

BELLAGUET, Élève du Collége de Bourbon.

INSTITUTION BINTOT.

Même sujet.

SENTENTIAM affero, cives, viris qui omnia virtuti et libertati posthabere solent, approbandam, quam si sequamini, nomen vestrum à summo dedecore vindicabitis, novumque gloriæ vestræ addetis incrementum. De principatu, de imperio, de redigendâ in servitutem Græciâ audivi : in tantùm ergò à majoribus nostris degeneravimus, ut libertate nostrâ non contenti, sociorum etiam nostrorum cervicibus incumbere meditemur ? Lacedæmone, in ipso libertatis gremio, universæ Græciæ vincula parantur ! Non ità : spem dominationis animo fovere, falsam aliis imperandi gloriam captare, et ad principatum mente et factis et omni ope eniti, vanitatis ac superbiæ est : imperium autem in manibus ferè positum contemnere hoc ingenuos viros, hoc Spartanos decet. Non enim ut alienas subigamus gentes, sed ut patriam summo robore et summâ virtute tueamur, nos à teneris an-

nis Lycurgus voluit laboribus induratos. Non alienis cervicibus jugum imponere, sed à patriâ tantùm propulsare boni civis esse censuit sapientissimus ille legum nostrarum conditor, horroremque servitutis, non imperii cupiditatem nobis injiciendam curavit. Quæcunque ad patriæ utilitatem conferre valent, avidè arripiendo et exsequendo, patriam ad extremum vitæ spiritum, neglectâ et parentum et liberorum curâ, tuendam esse, Spartanorum animis penitùs infixum hæreat; utque nullæ mortis vices sunt detrectandæ ubi de patriæ salute decertatur, sic et ab illâ noxium quidquid amovendum et avertendum est. Quid autem liberis civitatibus, quæ solâ virtute stare possunt, magis noxium, quàm in nimiam crescere potestatem! Modicum itaque nobis convenit imperium; et ubi aliis imperare voluerimus, ne nostri quidem juris erimus. Ubi victoriarum ardor Spartanos invaserit, invadet quoque luxus et libido, morum pestes teterrimæ, victasque armis nostris gentes ulciscentur. Tantis profectò calamitatibus occurrere in animo habuit Lycurgus, quùm leges illas nobis proposuit, æternum reipublicæ decus et præsidium. « Patriæ limites defende, non propaga; patriæ sanguinem et liberos et omnem curam impende. » Hæc præcepit Lycurgus; hæc violanda sunt, si principatum adipisci in animo est. Superbiâ, perfidiâ, scelere, tyrannis ad obtinendum et retinendum imperium opus est. Ubi primùm mentem rapuit ambitio, leges humanæ ac divinæ spernuntur ac proculcantur; per fas atque nefas itur ad imperium. Sed suam secum trahunt pœ-

nam fidei ac religionis violatores, in mores victarum gentium victor degenerat, aliisque imperare servitii principium est. Magna igitur dominatio illis relinquatur populis ad serviendum natis, quos cæcat insanæ gloriæ cupido, qui felicitatem suam provinciarum subditarum numero metiuntur, et dùm neminem se liberiorem arbitrantur, arma contra se ipsi suppeditant, suæque fiunt servitutis artifices.

Vos autem, ô Lacedæmonii, tanto opprobrio gloriam vestram ne polluite; reputate potiùs quàm turpe, quàm indignum futurum esset, eas civitates à Lacedæmoniis in servitutem redigi, quæ unà cum Lacedæmoniis tam fòrtiter pro communi salute bellum sustinuerunt. His ergò, quorum ope et fortitudine libertatem nostram servavimus, jugum imponere meditaremur? Hoc in Marathonis campis, hoc ad Salamina, hoc ad Platæas Græcorum effecerit virtus, ut Lacedæmoniorum ambitioni famularentur? Ideò tantùm sanguinis fusum est, ideò tot tàmque generosi viri vitam profudêre, ut Lacedæmonii servitium, quod à se, Græcis juvantibus, depulerunt, Græcorum cercivibus injicerent!

Sed quid ego hæc? Stat adhuc integris civitatibus Græcia, nedùm perdomita sit; et nisi mihi compertum ac persuasum esset, Lacedæmonios non metu non propriæ utilitatis causâ, sed naturâ ipsâ, sed recti amore rectum agere, peterem à vobis nùm uno ictu vinci possunt Persarum victores ac cives Themistoclis! Quos ingens Persarum multitudo non terruit, terrebit unus populus, cui se non impares confidunt,

et esse (suum enim cuique tribuendum) non semel comprobavêre? Qui patriam et domos suas uri et incendi maluerunt, quàm superbo hosti ac regi barbaro servire, illi jugo nostro colla libenter præbebunt? Qui sexcentos fudêre hostes, nostris gladiis tranquilli nudum pectus objicient?

Ne, cives, incertis belli vicibus integram hactenùs et intemeratam gloriam nostram committamus. Per Deos fœderum testes ac vindices perjurii, per Lycurgi illius nostri manes oro vos et obtestor, fatale hoc relinquite consilium. Quis esset, sapientissimi illius viri dolor, si, breviori vitæ usu ad nos revocatus, Lacedæmonios suos videret, violatis legibus illis quibus se fideles mansuros ad aras Deorum immortalium juraverant, tyrannorum more sese efferentes! Quantâ indignatione perjurium nobis exprobraret, pristinamque nostram virtutem amissam doleret! O ubinàm Lacedæmonii illi tàm studiosi patriæ ac justitiæ cultores? Ubinàm virtus illa, quam nec aurum nec divitiæ corrumpere valebant! Resipiscamus, ô cives; nondùm impii et iniqui belli signum datum est. Vos adhuc oculis suis propositos veneratur Græcia et admiratur: libertatem tàm fidis sociis relinquamus, servemus nostram, et meruisse imperium nobis pro imperio sit; nec diutiùs nos fallat vanæ gloriæ spes, et non ultra fines nobis à naturâ circumscriptos progressi, veram laudem non in victoriis, sed in virtute colendâ, quæramus. Proindè Lacedæmonios exercitus Pausaniamque revocandos, et à Græciæ dominatu abstinendum, censeo.

CONCOURS DE 1817.

PRIX D'HONNEUR.

ALFRED DE WAILLY, Elève du Collége de Henri IV.

Unus è Senatoribus de piratico bello quàm primùm faciendo.

QUONAM nostro fato fieri dicam, P. C., ut etiam in prosperrimis temporibus rempublicam aliquâ parte claudicantem rerum varietas et inconstantia fragilitatis humanæ nonnunquàm admonuerunt? Primo enim punico bello, ut alia taceam, ubi gratias Diis ob hispanicas victorias populus agebat, fremitus castrorum hostilium propè exaudiebantur; et postquàm Annibalem locum ubi castra poneret vix retinentem, in angulum Italiæ imperatores nostri relegavissent, tristiores ex Hispaniâ, Scipionibus interfectis, nuncii lætitiam temperabant.

Nunc quoque, P. C., fortuna non simpliciter nobis indulget. Virtute militum et singulari Deorum benignitate Mithridatem illum, qui se adversùs nos omnium regum profitebatur fore imperatorem, qui se

pœni ducis erga Romam odio successisse dictitabat, ità bello Lucullus afflixit, ut provinciæ nostræ ab omni regio impetu in posterum servatæ videantur : Italiam autem à piratico non servavimus. Dùm longinqua tractaremus bella, surrexit ex ipso pacis quasi sinu domestica quædam pestis. Prædonum colluvies Italiæ oras ferro ac flammâ depopulatur, maris tenet imperium, insidiatur commeatibus, et peregrinum ab ore populi romani frumentum rapit. Quam licenciam, P. C., ne impunitate gliscat, mollibus sententiis non alendam censeo. Ut nondùm adulta statim opprimatur, postulat imperii majestas, quæ per tot annorum seriem intemerata stetit; postulat justitia, quâ præcipuâ laude post bellicam virtutem gloriamur; postulat deniquè totius orbis salus, quem Dii nostræ dominationis umbrâ protectum esse voluerunt, ut ab omni injuriâ tutus præstaretur.

Quid enim fœdius excogitari potest, quàm si populus romanus, qui nullum unquàm bellum formidine detrectavit, pacem imploraret à cilicibus piraticis? Senatus ergò consulares viros Metellum, Catonem, aut Pompeium mittat, qui fœdus cum Isidore quodam feriant! Majores quondam nostri, quùm staret ante mœnia urbis Annibal, et debilitata non minùs hispanicis victoriis quàm italicis cladibus respublica otio egere videretur, ignominiam conditionum, quas Pœnus imposuisset, subire recusantes, de bello continuando ne deliberavêre quidem. Nos, P. C., nos Africam, Macedoniam, Græciam, atque Asiam, Annibale, Perseo, Antiocho, Mithridate devictis, possidentes, flo-

rentissimo reipublicæ statu, cum manu latronum fortunam populi romani committere timeamus! Volo tamen (absit verbo invidia) patriâ virtute degeneres, dignitatem nostram obliviscamur, modò non utilitatem: at quem fructum in præsens, quæso, quem in posterum tempus ex isto fœdere Roma perciperet? Speratis maximam jurisjurandi fore reverentiam? Creditis illos summâ religione fidem observaturos, quùm impias et insatiabiles manus ad sacram templorum pecuniam semper porrexerunt? Rapto vivere assueti, bonam ad frugem subitò converterentur? Fiant ex avaris modestissimi, optimi ex perditis? Classem suàm spemque lucri deserentes, ad virtutem paupertatemque redeant? imò verò, P. C., non redibunt. Ubi contrà piratas à populo romano timeri compertum fuerit, malorum omnium in omni telluris parte ad eos erit concursus. Bellum igitur quod in principio parvum inertiâ vestrâ duplicaveritis, gravius postea vobis incumbet, et geretis quò seriùs, eò difficiliùs.

At, dicet aliquis, homines ad internecionem persequi justitia non vetat? Adeò non, P. C., hoc vetari contendo, ut contrà jubeatur. Leges enim unum in latronem sævient, nos multis ignoscemus? Numerone scelestorum imminuitur scelus? Qui privati cujusdam fortunis insidiatus est, punietur; qui populi romani provincias vi et armis aggressi sunt, non punientur? Quia multi inter se conjurationem fecerunt, quia classe vehuntur, illis impunita erit vastatio urbium, agrorum depopulatio? Homines omnium perditissimi quibus plerisque nulla patria aut alia est, quòd im-

probâ societate benè moratam populorum societatem imitentur, navali exsilio avaritiam suam per maria circumferentes, sibi jus gentium prætendere poterunt? Patres olim quùm amicissimam nobis urbem Saguntum funditùs everti scivissent, non priùs ad ultionem arma moverunt, quàm Pœnis per legatum pacem obtulissent. Non verbis autem aggressi sunt Herdonium, eum servorum ducem, castris publicos populi romani penates tenentem. Nos piratis per fecialem pacem proponamus!

Quanquam quid de justo et injusto disseram, quùm prædones è medio tolli jubeat domina illa et arbitra rerum omnium necessitas? Nonne mœnibus è nostris urbes vicinas incensas fumantesque quotidiè aspicimus? Nonne jàm pridem agrorum vastatio, dirutio oppidorum, commeatuum rapinæ patientiam nostram consumpserunt? Quem ad finem effrenatam audaciam patiemur se jactare? Exspectamus scilicet donec numero et licentiâ piratæ crescentes usquè ad ostia procedant? invadant urbem hanc clarissimi imperii domicilium, forum corrumpant? Tunc eos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio prohibebit quominùs senes ad supplicia, fœminas ad stuprum, viros ad servitutem aut remigium trahant?

Quæ quùm ità sint, P. C., non solùm Italiæ ultionem poscentis, sed orbis totius atque urbis Romæ grassantem tot miseriarum contagionem deplorantis vocem audite. Conspicite procellas quæ reipublicæ immineant, nisi provideritis, et quamprimùm in latrones impetum feceritis. Modò prudentissimis ducibus

tradantur sociales nostræque classes, non dubito quin tantâ navium cum multitudine, utraque Ponti atque Oceani ora facilè complectamur. Teneamus hinc Gaditanum fretum, quà primum maris nostri limen aperitur, illinc Propontidis fauces quasi portam obseramus. Quidquid navium Lybico, Gallico, Asiatico sinu nobis est, in originem fontemque belli Ciliciam proras advertat; maria interjacentia perlustret, et piratas velut indagine quâdam inclusos opprimat. Tunc posteaquàm universum terrarum orbem nefariâ peste liberaveritis, posteaquàm ex Oriente in Occidentem maria commercio patefacta novam atque inauditam victoriam nostram testata fuerint, quâ in veneratione Romanos apud exteras nationes futuros esse censetis? Mirabuntur populi gentem esse aliquam in terris, quæ bella gerat pro securitate aliorum, et viros, qui, omnium bello potentissimi, suâ potestate utuntur in omnium felicitatem augendam atque amplificandam, orbis ad imperium et salutem fatales esse arbitrabuntur.

CONCOURS DE 1818.

PRIX D'HONNEUR.

DEMERSAND, Elève du Collége de Henri IV.

Scipio Æmilianus Corneliam, Scipionis Africani filiam, eamdemque sororem suam et Gracchorum matrem, monet, ne ipsius filii, quorum pater, vir summus, censorio munere et bis consulatu honorificentissimè perfunctus fuerat, per malas artes inclarescere velint.

NON te, Cornelia, ut arbitror, neque quemquam fugit, Tiberium tuum, hesternâ concione, eloquentiæ magis illecebris, quàm ullâ causâ, ictum, se auctore, cum Numantinis flagitiosum fœdus multitudini approbavisse; et manifestè, in hâc filii victoriâ, materna tua caritas et justa superbia emicuit. Tuis profectò liberis insigne et egregium erit populum universum maternis affectibus consensisse, et patriam iisdem civibus, quibus tu, Cornelia, filiis lætaris, gloriatam fuisse. Quis verò miretur Tiberium et Caïum Gracchum, tanto patre genitos, à tali matre inter

gentilia domûs suæ educatos, spem amplissimam concitare, et alterum jàm ad rempublicam adductum, alterum prætextatum, aviti ingenii exempla, et acceptas, veluti hæreditate, Scipionis virtutes expressam ad effigiem reddere? Sed quò facilius est magnis viris nominis sui et meritorum splendore jura patriæ invadere, eò donis ad publicam felicitatem acceptis malè uti fœdius est. Itaque natis tuis, Cornelia, cavendum ést, ne ambitu et impotenti honorum cupidine, præclaras animi dotes deforment, et tibi annitendum nè quos, si boni erunt, pro firmissimo munimento habere potest respublica, eos, si mali contrà, ut funestissimos hostes reformidet.

Jàm multos ego et tu vidimus indignantes quòd uterque turbulenti fori conviciis gaudeat, quòdque Tiberius, tribunitiâ auctoritate fretus, nimisque secundâ multitudine sese efferat, et crebris sermonibus plebis commoda, et optimatum arrogantiam, ut aiunt, usurpet. Decetne igitur optimum virum, Tiberii Gracchi clarissimi atque eminentissimi viri filium, quùm laudem egregiam honestis artibus parare sibi possit, infamem claritudinem per nefas quærere? Decetne hunc qui ordinis amplissimi suffragia, et avitis decoribus et virtute suâ, sibi conciliare in promptu habet, ambitu et supplici superbiâ gratiam plebis aucupari? Acerbum proh! et miserum fatum est reipublicæ, si, quùm tot interioribus et latentibus morbis laboret, crescantque cum magnitudine imperii vitia, viri maximi viam aperiunt licentiæ, et tacitas perditorum cupidines nobilibus exemplis ad erumpendum hortan-

tur! Quis sibi turpe putabit per quod Corneliæ filii gloriam quæsiverint? Quis patriam turbare, multitudinem odio patrum incendere post Tiberium et Caïum Gracchum erubescet? Me tamen, Cornelia, tua recreat et reficit virtus, prudentia, publicaque simul et privata pietas. Neque rempublicam filiorum errore pessumdari, neque filios ad cladem suam per mala consilia ruere patieris. Nam quisnam esse potest tàm rerum nostrarum imperitus, qui levitatem et populi romani inconstantiam ignoret? Quoties perfida illa multitudo quos erexerat oppressit! Quoties acerrimos suos defensores in præcipitem locum sustulit!

Non quòd ego per universum populum romanum discordiæ amorem et impatientiam legum, licentiamque vulgari velim; ille semper populus hic est fortis et magnanimus, in prosperis clemens, in adversis intrepidus; qui terrâ marique formidinem armorum circumtulit, victor et recens, æternam hujus imperii hostem ex orbis terrarum facie Carthaginem sustulit; at, ut inclytus, quùm ducibus paret, ità, ubi imperat, immodicus: optimus bello, pace pessimus, vim habet, non consilium. Vastare, evertere potest: nihil solidum per se ædificare valet populus; verè rex quùm legum imperium veretur, servus ubi fregit. Nomen libertatis ipsi libertati anteponit, et semper clamoribus suorum assentatorum deceptus, sese odio dominationis, imperiosis dominis permittit. Quibus enim artibus hunc tot tribuni pellexerunt? An fortiter agendo, patriæ consulendo, vigilando? Imò contrà maximè declamando, deniquè cupiditate, avaritiâ, superbiâ, plebem

exagitando, minima reipublicæ universa et singula paulatìm insurgentes ad se traxerunt; et ludificata multitudo, infractis aut elusis legibus, postremò libidinem paucorum pro legibus habuit. Felicem tamen, in summo dedecore, rempublicam, si homines digni qui hominibus imperarent, vetitam potestatem occupâssent! Verùm enim verò infimi cives (si eos cives nominare licet, qui civitatem diripiendam habuerunt, ut prædam suam, et vilem, ut alienam), perditissimi hominum, pace belloque juxtà ignobiles, at seditiosis concionibus turpiter clari, senatui infensiores quàm plebis studiosiores, possessorem Italiæ populum, Africæque et Hispaniæ victorem suæ ditionis fecerunt. Ideòne tot inclyti viri rempublicam virtutibus ornaverunt, ideòne fortissimi duces hoc imperium victoriis auxerunt, ut otiosi et loquaces tribuni bellorum decoribus et devictarum gentium spoliis et exitiis clarissimorum virorum et iratis Diis fruerentur? Proh pudor! horum ergò vestigiis Tiberium et Caïum, tuos, Cornelia, filios insistentes videbimus! Videbimus hanc post tot clades redivivam Africani virtute rempublicam, à nepotibus Africani labefactatam, comminutam, interfectam!

At, si liberos tuos ambitione amentes, non majorum memoria, non sacrosancta reipublicæ instituta, non ipsi imperii majestas, non matris deniquè venerandæ preces deterrere possunt; si nihil est sancti, non decus, non religio, non pietas, ne saltem in perniciem certam per scelus ruere, quàm ad gloriam virtutis viâ pergere malint. Solosne se auctoritatem

senatûs sub pedibus projecturos sperant, et invisam potestatem, millibus hominum invitis, arrepturos? Quid tot vigilantia pro legibus et salute reipublicæ lumina? Quid tot pro optimatum defensione armatæ dextræ? Torpescentne dùm illi ad dominationem inulti grassentur? Horrescens jam mihi videre videor concitam seditiosis clamoribus multitudinem, Romanos cum Romanis decertantes, et cruentum, mediâ pace, forum, et divulsam discordiis civitatem gentibus devictis pœnam solventem. Fœdum utiquè certamen, quùm utriusque partis cladibus afflicta pariter, merces erit in exitium suum desolanda respublica! Quàm triste et luctuosum erit legum potestatem sanguine romano confirmare! Vincet tamen postremò melior causa, ut omnibus publicis vicit tempestatibus. Ut omittam Spurium Melium et ignobiles alios turbarum duces, non Cassium Viscelinum, plebem largitionibus sollicitantem, regioque nomini inhiantem, populus romanus meritâ morte plectere potuit? Nonne Manlium ipsum Capitolii vindicem, alterum parentem hujus imperii, altiùs sese et inciviliùs efferentem, ab illâ arce, quâ Gallos deturbaverat, dejecit præcipitem? Quot hostes libertati insurgent, tot et nascentur defensores: neque adversùs Manlios Cossi nobis deerunt.

Ipse ego, jubente patriâ, domorum nostrarum vincula oblitus, romanique tantùm memor nominis, legum, senatûs, libertatis ultor adero; adero mucrone illo armatus quem respublica, ubi in discrimen venit, unicuique civium ad se defendendam committit, ipsi Tiberio hostis infensissimus, si Roma Tiberium hostem judicaverit.

At te, Cornelia, quam nulla ira, nullus dolor in senatum concitavit, quæ omnia liberis, patriæ autem, ut filiam Africani decet, liberos posthabes, te per romanæ genitricis pietatem, per custodes ac præsides hujus imperii Deos, per intemeratam majorum communium laudem, per venerandam et sacram Africani memoriam, per ipsum filiorum tuorum amorem, oro atque obtestor reipublicæ et domesticæ saluti consulas, Caii Tiberiique mentem deerrantem à recto, sed mollem adhuc et teneram, maternis monitis, jussu, precibus inflectas, ac simul carissimos tibi natos, natis integram et potentem patriam, patriæ fortes ac studiosos cives servare coneris.

CONCOURS DE 1819.

PRIX D'HONNEUR.

CUVILLIER-FLEURY, Elève du Collége de Louis le Grand.

Oratio Manlii Capitolini senatores dehortantis ne exsulem Camillum ad auxilium urbis revocarent.

Si in illis temporibus et in illâ curiâ verba facerem, ubi, tutâ ab externis bellis et dissidiis republicâ, non de utilitate tantùm universorum civium, sed de unoquoque cive loqui etiam liceret, et ego forsan, P. C., ut præterita respiceretis. et quod justum, æquum, dignum deniquè hâc virtutis vestræ integritate foret quæreretis, suaderem; nunc autem quùm eò necessitatis ventum est, ut magis de hoc agendum sit an salvi quàm an justi eritis, magis utile quàm quod æquum sit quæramus.

Placet arcessi ab exsilio Camillum et creari dictatorem; at, quæso, dignum est senatu et republicâ romanâ unum civem, tanquàm unum desperatis rebus subsidium, implorare? Ergò consulares viros, prin-

cipem senatûs Furium Quintium ad egregium præclarumque exsulem mittetis, qui civis opem nomine populi romani mercentur, ut subvenire periclitanti reipublicæ, ut fulcire præsidio suo labantis imperii ruinam, et Capitolium à barbaris eripere dignetur, precaturi! Ergò hanc illi superbiam injicietis, ut nullam civibus suis nisi in Camillo salutem futuram arbitretur; hoc reipublicæ dedecus, hanc nomini nostro labem inuretis, ut sine cive quodam stare illud Capitolium non potuisse videatur! Quanquam ne certum quidem illud periculi auxilium est. Camillus, ut magnus ac patriæ amantissimus in Veienti bello visus est, ità in exsilio infensus esse potest. Nulli enim injuriæ suæ parvæ videntur. Coriolanus urbem penè delevit; mirum erit si ab exsule Camillo auxilium non impetratis! Tunc postquàm per ora circumstantium Capitolium barbarorum ad imploranda aliena auxilia incassùm miseritis, præclarum illud certè et magnificum erit legatos romanos, post flagitionem negato subsidio, solos redire, et ad pavescentes vos ignominiam illam turpis repulsæ referri; aut illum, si tandem subvenire desperatis rebus haud dedignatus fuerit, in Capitolio nostro quasi de ignaviâ nostrâ triumphantem dominari!

Magnum quidem instat reipublicæ periculum, P. C., sed quod fortibus viris neque timendum sit, neque insuperabile. Etenim an hodiè primùm experimur certaminum aleam? Nata gens ad bellum, et in castris propè sæpiùs quàm in foro viventes, eamdem fortunam pugnandi semper nec habere po-

tuimus, nec habuimus; et ea etiam fato quodam data nobis sors est, ut in magnis omnibus bellis nunquàm nisi victi vicerimus, virtutem nostram experiri volentibus Diis, ut, clade non fracti, victoriâ digni essemus. Nàm strepitum armorum hostilium et clamorem Gallorum infanda minitantium, et interiorem hostem, et pendentes circum Capitolia barbaros exhorrescamus? Sed enim jàm pugnatum in hâc ripâ Tiberis est, et stetit ante urbem Porsenna, et sublicium pontem Etrusca agmina attrectavêre; omnia tamen strata humi et jacentia erexit ac sustulit virtus populi romani; et patriam, quasi bello inflammatam et diluvio correptam, à victoribus recepit. Quin igitur hanc virtutem imitamini, P. C., praeclara Brutorum et Collatinorum proles! Quin fortiter capessitis rempublicam, et dignos gente liberâ spiritus sumitis? Populus romanus sua defendit : nos tantùm defendere sua patiamur! Etenim an mediocre discrimen opinionis sequuturum arbitramini, si firmè et constanter Romanorum robur molientibus aditum barbaris opposuerimus, aut si, veluti timentes et jàm propiorem ruinam exspectantes, externa auxilia circumspexerimus? Stat in Capitolio numerosa belloque exercita juventus, necdùm rebus diffisa suis, quæ, ubi ad alienam opem concurrentes nos viderit, cavendum est ne suam patriæ deneget, ac nos, dùm rempublicam tutari ac defendere cupimus, omninò perditum eamus.

Quid hoc est, P. C., quòd Camillo et sociis Ardeatibus fortunam reipublicæ committere vultis? Creditis Camillo tantùm fata publica? Proh! Deos immortales!

Nisi civis aliquis exsul et extorris patriâ, cum Ardeatum exercitu, populum omnem romanum, urbem, templa Deorum, privatos publicosque penates in tutelam suscipiat, stare urbs hæc in æternum condita non poterit? Nisi Camillum ducem belli habeamus, adversa numina, adversum Jovem Optimum Maximum habituri sumus? Si duce Camillo defendamus Capitolium, si duce Camillo signum romanis legionibus dederimus, faventibus Diis pugnabitur? Ergò si Diis immortalibus spolia hostium voverem, si citatim auspicatòque eduxerim exercitum, tueri patriam ab hostibus non potero? Ecquid Romani tandem an Ardeates ad orbis imperium nati sumus? Romæ Capitolium an Ardeæ situm est, et Stator ille Jupiter qui victores Sabinos mediâ arce deturbavit, à nobis ad externum et alienigenum populum sua fulmina transtulit?

Fateor equidem, P. C., præclaris facinoribus Camillum inclaruisse; verùm solum ejus nomen in republicâ versatur? Nulli sunt qui patriam defendere, vincere hostes, profligare barbaros, rempublicam erigere ac confirmare valeant? De me, P. C., nihil jactaverim; sed si, quàm patriæ amans ac studiosus sum, tàm felix bello sim futurus, non dubito quin nulla cum reipublicæ hostibus pax facienda sit, neque vos absentium Ardeatum et Camilli pœniteat.

Hæc pro republicâ, unum pro Camillo dicam meruisse illum uti, non necessitate, sed civium suffragiis revocatus fuisse videretur. Quam autem opinionem populorum omnium sequuturam indè creditis, si

nunc, incensâ urbe, obsessum Capitolium urgentibus barbaris, ab exsilio in præstantissimum dignitatis locum evocetur? Quem in perpetuum, quietâ et florente republicâ, exsulem futurum fuisse dicent, uno periculo nostro, non virtute suâ factum innocentem! Quàm pulchriùs illud Camillo ac majori ornamento futurum, si, consumpto per fortitudinem nostram bello, ad patriam urbem et liberum Capitolium, per circumstrata Gallorum cadavera et sparsas barbaricâ cæde vias, revocantibus Romanis, splendidè redierit, ità ut ideò bonum civem et optimè de patriâ meritum revocâsse videantur, ut civium lætaretur victoriâ.

Per nos igitur reipublicæ consulendum censeo, P. C.; per nos Capitolium illud, sacra illa Deorum immortalium altaria à barbaris eripienda esse; per nos, quidquid ardui et acerbi fortuna intulerit, sustinendum. Tùm, postquàm nefariâ peste Italiam liberaverimus, fortitudinemque nostram et constantiam senatûs romani insignis testata erit victoria, et manifestum cunctis gentibus erit quid soli possimus, æquitati locus erit; tùm, si quid in Camillum injuriæ commissum fuerit, securi intra pacem felicitatemque consultabimus. Nunc illum in Capitolium arcessere nobis indecorum, reipublicæ periculosum, ipsi Camillo inhonestum futurum mihi videtur.

CONCOURS DE 1820.

PRIX D'HONNEUR.

F. VELLY, Elève du Collége Charlemagne.

INSTITUTION CIMTIERRE.

Profecturus in exsilium M. Tullius circumstantem atratâ veste senatum equitesque, et populum ferè universum alloquitur.

PRIUSQUAM apud vos verba faciam, sinite me, Quirites, gratias Diis immortalibus agere, quorum benignitate, id mihi faustum in tantâ clade meâ contigit, ut, qui totiès me plausibus exceperitis, dùm mea me fortuna ad summam potentiæ et dignitatis apicem sustineret evectum, iidem vos, Quirites, etiam in præsenti rerum articulo, quamvis obnoxius inimicis jaceam, et quantùm ad eos pertinet victus, tamen mihi supremum hoc et idem gratissimum præstaretis testimonium vos semper M. Tullium, nunquàm Tullii fovisse fortunam, et si me quandò desereret illa, vos nunquàm deserturos. Itaque quanquam apud vos nun-

quàm mihi defuturam orationem credideram, nescio nunc quæ tàm magnifica, tàm splendida verba eligere debeam, quorum vis et copia, quantacunque sit, non subsistat infra quæ mentem afficiunt.

Quâ enim alacritate, quo gaudio, si mihi fas sit gaudere, perfundi me putatis, quùm circumstantem, ut quondàm, senatum equitesque et populum ferè universum intueor? Quàm gratum fore putatis animum quod tanto studio casum meum prosequamini? nullum unquàm profectò dulcius mihi visum fuit spectaculum: nec præsentius aliud optandum erat solatii genus, ut incumbente istâ fatorum necessitate non frangerer, neque meo dolori ferendo impar existerem.

Nempè dolere me, Quirites, non diffiteor; nam si quis noverit quanto amore patriam amplectar, facilè illi intelligendum est quantus sit dolor meus, è patriâ excedere coacti. At quidem, priusquàm illuxerit felicissima illa dies, quâ, republicâ per me liberâ, imò et incolumi superbus, et effusis animorum omnium studiis appellatus patriæ pater, grates Diis primùm agendas existimabam quòd mihi Romanus nasci, ac deindè quòd Romam ab impiis Catilinæ faucibus eripere contigisset; tunc, si quis vates, futura mihi retegens, omnia illa præcinuisset, adjiciens autem aliquandò me, oppressum ab inimicis, civitatem hanc meam non spontè deserturum, quam ipse servaveram, amentem eum ratus, non ità fieri posse credidissem, ut, qui tanta mihi munera Superi indulsissent, illi me posteà fratre, conjuge, patriâ, dignitate carere paterentur: sin autem, laudem hanc tanti

constaturam deprecatus, ipsâ morte, si nulla alia fuga fuisset, certè vitavissem.

Sed quò me dolor? quarè apud memores vos, Quirites, servatam à me patriam queror? Admonet me potiùs ista recordatio mihi nunc, ut olim, vobis esse consulendum. Audio clamantem patriam, me non mihi soli natum esse, sed etiam atque adeò multò potiùs ipsi patriæ; ipsi me omnia debere; ipsâ matre ac magistrâ educatum, et optimis disciplinis imbutum, et ad amplissimos honores me perductum. Jubet illa nihil agere me, quod natum in parentem dedeceat; neque vobis timendum est, ut jubenti paream. Pluribus enim ad hanc diem tempestatibus eum me cognovistis, qui reipublicæ commodis mea posthabuerim, quàm ut nunc velim meos cives, unius meî causâ, in discrimen adduci : imò contrà confidite nihil esse periculi, quod non adire, nihil molestiæ, quod non pati paratus sim, ut vos vel ab ipsâ periculi molestiæque suspicione vindicem.

Scilicet in exsilium ire me jubet Publius iste Clodius, qui, tribunitiâ innixus potestate, et secundâ nescio quâ plebis fæce nimius, vestra, Quirites, commoda et nostram quam dicit optimatum arrogantiam crebris sermonibus usurpare, et senatoriam tyrannidem increpare, et libertatis amorem sibi prætendere solet, quò faciliùs, nomine non invidioso, suam ipsius tyrannidem multitudini deceptæ approbare possit, quæ, nisi Dii provideant, nunc odio dominationis, ut semper, domino impotenti sese permissura est. Quò Catilina per audaciam et nefas, eòdem iste

Catilinæ armiger per fraudem tendit ac perfidiam : ego verò, quùm illum ab istâ, quam affectabat, nefariâ dominatione prohibuerim, dignus sum in quem hic sæviat, ne consiliis obstem.

Neque tamen ignoro me consularem virum, studio senatûs, et bonorum omnium, imò totius Italiæ consensu fretum, neque minùs forsan recentis victoriæ circumfusâ quasi memoriâ protectum, potuisse P. Clodio, tribuno plebis, consulibusque Gabinio et Pisoni, Clodii adjutoribus, resistere. Nam ne quid nostris calamitatibus desit, quonam nostro fato fieri dicam, ut, qui semper rempublicam certaminibus habuêre divisam consules et tribuni plebis, illi nunc in id unà conspirent, ut urbem hanc nostram, si non communi scelere labefactam, exanimatam, interemptam ex orbis facie sustulerint, at saltem, ab antiquâ dignitate dejectam in servitutem de libertate deturbent? Quibus etsi dolor adversari suaderet, hanc ego dimicationem fugi, reipublicæ causâ; quippè mihi privato adversùs cives et populi romani magistratus pugnandum fuisset : quanquam quid ego cives eos nomino, qui civitatem ad exitium penè vocaverunt? Quid magistratus eos populi romani dico, qui, quùm leges non vereri solùm ac tueri debuissent, sed earum etiam apud cæteros observantiam facere, legum ipsi primi proculcandarum quasi signum sustulêre? Attamen, quo se cunque modo res habuerint, non, quia illi divina omnia humanaque jura pedibus subjecerunt, subjicere nos decuit, neque contra Romanos, vel romani nominis oblitos, arma capessere. Vidissemus ergò cruentatam nostri

fori pacem ! Vidissemus districtam inter se bello parricidiali Romam, devictas ulcisci gentes; et respublica jacuisset in exitium suum deploranda merces !

Quâ quidem in pugnâ, si boni vicissent, vicissent tamen contra leges, nec inhonestè minùs, quàm si victi fuissent. Quo enim jure jàm tùm Clodium, et cæteros omnes, quotquot sunt turbarum artifices, scelestos appellavissent, ipsi Clodium et Clodii conscios imitati? Hoc igitur posteris memoriæ traditum fuisset, Patres romanos, et sapientes bonosque cives secutos esse quod iter Clodius inîverat; nec meliùs de republicâ meritos !

Horrescitis, Quirites, et ità fieri potuisse negatis : ego quoque nunquàm nomini vestro tantum dedecus accessurum fuisse confido. Meliùs enim fuisset perniciem, quæ omnibus impendebat, uni mihi suscipere : neque eum esse me creditis, qui patriam mecum, quàm me pro patriâ perire potiùs habuissem. Non rem tenuissimam tanti facio, ut patriæ roganti negare velim animam hanc, quæ mox à naturâ repetenda sit. Si verò non à vita, quod maluissem, sed pudendo condemnatus judicio, à republicâ discedere fuissem coactus, non mihi gloriosum minùs credidissem pro patriâ me victum à Clodio confiteri, quàm pro eâdem vicisse Catilinam; neque profectò, quam semel gloriâ meâ servaveram, hanc iterùm ærumnâ meâ libenter minùs servavissem.

Nunc autem, Quirites, quùm, sublatâ senatûs, legum judiciorumque auctoritate, nulla jàm sit respublica, nulla civitas, quis est qui me mulctatum exsilio dicere

sustineat? Nam quid justi possunt, quid legitimi agere illi, qui sanctissima quæque jura nihil pensi habent, et suas libidines pro legibus esse volunt? Itaque, si placet, Clodius exsulare me jactitet! Ego verò, nihil in me juris habere Clodium ratus, non in exsilium ire me contendo, sed ab urbe tantùm discedere, donec longo se luctu Roma exsolvat, et vetus reipublicæ status restituatur. Verùm enim verò, non ideò per tot annos, et tàm multis magnisque viris aucta, Romana res in tantùm altitudinis crevit; non ideò, tot gentibus sub leges missis, Fabius maximus, Marcellusque et Lucullus, Scipioque ille noster, et præsertìm singularis ille vir Pompeius patriæ laudis hæreditatem dignè sustinuerunt, imò et amplificaverunt, ut Clodius iste tribunus plebis, nullis nisi pravis facinoribus clarus, et omnibus illis gentibus tanto cum decore subactis, et optimis viris exulibus, et Diis iratis frueretur. Veniet aliquandò tempus, quo tandem ad nos Dii respicientes malorum miserebuntur, et justiores ab istis hominibus sacrilegis pœnas exigent: tandem aliquandò libera, et civilibus defuncta procellis, Roma suam sibi laudem, suam senatui auctoritatem, et legibus reverentiam, suam virtuti mercedem, pœnam sceleri redditam ità lætabitur, ut ad felicissima illa reversam se tempora, non sine admiratione quâdam creditura sit, quibus, senatus ille noster pro consessu regum habebatur, et ipsa, suo nomine remotissimos tractus terrarum pervagata, vel à regionibus ignotis reges ad se trahebat amicitiam expostulantes atque tutelam. Quæ statìm ac restituta erunt, rediturum me sperate, Quirites: utinam autem

votis precibusque diem illam maturare possim, quâ vos non mihi tantùm, sed vobis ipsis redonatos intuebor.

Intereà spes illa me recreabit; illa meum faciet leviorem casum; et spe saltem felix, procùl quidem à vobis, sed quàm minimè procùl potero, optatum illud exspectabo tempus, quo Romæ mœnia mihi rursùs aspicere dabitur. Ergò vale, urbs mihi dilectissima! Valete, templa publica, domestici penates, arx Capitolina, Jovis Optimi-Maximi domicilium! Válete vos, ô quicunque romani quidquam retinetis! Faciant Dii immortales non longùm vobis caream! Ego verò quantùm erit in me, vobis absens adero; non omnis proficiscor; ab urbe corpus tantùm distrahetur, non animus; quotidiè mihi antè oculos obversabitur jucundissimus ille vester aspectus; foro sedere mihi videbor, Patribusve deliberantibus adstare. Quid quòd à recessu meo si quid unquàm auxilii rebus vestris afferre possim, nullus vestrûm dubitet, quin laudem tueri vestram, et salutem, si Diis placet, asserere totis semper viribus enitar. Meam autem famam, quæ tota vestra est, vobis commendo, Quirites; et, si quâ mercede meum in vos studium dignum esse videatur, per ego vos quæcunque nos mutua merita jungunt, precor quæsoque fratris mei, conjugis, liberorum saluti invigiletis, et sitis in eos eodem, quo semper in me fuistis animo.

CONCOURS DE 1821.

PRIX D'HONNEUR.

Gustave DE WAILLY, Elève du Collége de Henri IV.

Oratio Constantini ad milites jamjàm congressuros cum Licinii imperatoris Romani exercitu.

Si me cupido imperii ad provocandum bellum impulisset, milites, licèt tot præliis spectatos contra collectum ex ignavis et mollitie fluentibus populis exercitum pugnaturos intuerer, minùs tamen vestræ confiderem virtuti quàm causæ Deo non approbatæ diffiderem. Quùm verò indulgentem paci, consulentemque felicitati civium me invitum in arma Licinii sævitia traxerit, quùm ad vindicandam Dei injuriam, non ad explendas animi libidines vos in aciem eduxerim, undè stat justitia, hinc quoque stabit victoria, et de crudelitate et ignaviâ, fortitudo et pudor profectò triumphabunt.

Atque ego, milites, vos non eo tantùm quo soletis

ardore, sed cum quâdam indignatione atque irâ pugnare velim. Quis enim non succenseat Licinium nullâ injuriâ lacessitum, ruptis fœderibus, contra Christianos tàm atrociter coortum fuisse? Illa quæ ante oculos obversantur Deorum simulacra, christiano sanguine adhuc immadent. Dùm nostram cum Ethnicis clementiam communicaremus, nosque christiana juberet religio non errantes interficere, sed miserari, ante easdem illas quas cernitis imagines, vestros Licinius fratres trucidabat ausos privatâ innocentiâ Cæsaream damnare libidinem. Demens qui non sentit Christianos inter carnifices, velut è stirpe accisâ, renasci, et illam fidem quæ Neronis crudelitatem, quæ Diocletiani totque aliorum proscriptiones superavit, ex omni fortunæ sævitiâ profectò emersuram! Jàm adest à sacris suis, nempè à cæde recens; jàm nova animo supplicia quibus Christiani crucientur excogitat. Quo gaudio exsultaret, quâ in voluptate baccharetur, si victi hauriendum illi vestrum sanguinem laniendaque viscera præberetis! Eum mihi videre videor fœdantem sanguine provincias, feminas, senes, pueros ad cædem promiscuè vocantem, superque congestis Christianorum cadaveribus, gratias suis numinibus agentem. Vos autem à furore effrenato dextræ vestræ vindicabunt; eos esse vos sentient hostes qui et fortia patiamini et faciatis; quibus non minùs animi sit ad propulsandas injurias quàm ad ferenda supplicia; nec eos sensisse pœnitebit: imò etiam ferè clade suâ lætabuntur. Vos enim Christo duce militantes, non arma cepistis, ut, insolenti victoriâ subnixi, gentem Pagano-

rum funditùs everteretis, sed ut Licinius à fratrum cervicibus depelleretur; ad id tantùm fortunâ utemini, ut mitioribus ingeniis imbuantur homines, et efferatos mollior consuetudo permulceat. Jàm satis atque super imperium intestinis bellis distractum est, dùm in patriæ viscera convertimus vires quibus meliùs perirent, imminutis discordiis civilibus, barbari; requiescat tandem aliquandò vastatus orbis; requiescere verò, nisi nobis victoribus, non potest. Abiit jàm dudùm et transvectum est illud tempus, quo plures penè triumphos quàm annos Roma numerabat, quo, scandenti mœnia urbis Annibali, se pacem, quandiù in Italiâ esset, negaturam profitebatur. Nunc domitores orbis suam cum ignotis quibusdam gentibus gloriam committere timent, et pacem turpiter mercantur. Vos, Christiani, intermortuam nominis romani memoriam soli revocare potestis, soli adversùs irrumpentes undiquè Barbaros immensum imperii tueri corpus, soli æternam urbem conservare. In hoc campo disceptatur utrùm convellatur an hæreat illa compages quæ tot annorum disciplinâ coaluit; victore Licinio, de imperio actum est. Redeunt stolidi illi et atroces ritus quorum inter Deos Tiberius, Caligula et Nero recepti sunt; redeunt infelicia illa tempora, quùm matris interfectori grates ageret senatus, quùm, ut quisque illustrior, ità promptior rueret in servitutem, et unica virtus superesset mortem æquo animo pati.

Quantò verò meliùs cùm republicâ agitur, si de hostibus triumphum nobis Deus concesserit. Tandem renascentur illæ virtutes quæ ad hoc magnitudinis

fastigium romanam rem evexerunt; excipiet pessimos mores temperantia; miscebuntur res anteà dissociabiles, imperium et libertas; in stultissimi cultûs locum succedet cœlestis illa religio quâ omnes inter se homines communi quodam vinculo propinquitatis conjunguntur. Ex vestrâ victoriâ, milites, pendet totius orbis felicitas, quò acriùs ad capessendam pugnam excitemini. En illa, illa dies advenit, quâ tandem Christiani continuis è cladibus respirent, quâ vobis communem habere patriam, communi civium jure frui liceat. Quondàm sub ethnico imperatore vobis fuit moriendum, nunc sub christiano vincendum. Ad id tantùm suos passus est Deus miseriis et sordibus conflictari, ut manifestò appareret verè divinam esse illam religionem adversùs quam humana vis nihil valuerit; nunc ipse vos ad victoriam ducet; commilitone Deo, milites, certabimus; nec deerit nobis, si quò opus fuerit, miraculum (1).

Securus ergò de pugnæ eventu tantùm à vobis vestræ fortitudinis temperamentum postulo. Quùm processeritis in acie, vos contra Romanos, contra cives pugnare mementote. Olim militi romano qui socium servâsset dona majores nostri assignabant; ego insuper militi præmia decernam, si quis adversarium captum et illæsum adduxerit. Quid futurum censetis quùm vos hostes viderint ipsorum saluti acriùs quàm vestræ invigilantes? In vestras profectò

(1) Allusion à la croix lumineuse que Dieu fit briller aux yeux de Constantin, avant la bataille contre Maxence.

partes transibunt, et à Licinio discedent, nec opus armis esse rati inter quos sublata sunt odia, quis mihi plurimùm imputet, certabunt.

Ite ergò alacres et spe pleni, memores vos in dextris vestris vitam, libertatem vestram et orbis fortunam gerere. Pro conjugibus et liberis in quos, nisi viceritis, impunè Licinii furor dominabitur, corpora vestra opponite. Experiatur Licinius quantò ferocior sit in suâ fide defendendâ dolor, quàm in alienâ impugnandâ crudelitas; sentiant suspensæ hujus exspectatione prælii gentes uter Jupiter an Christus orbi terrarum imperitet. Tùm postquàm, victo Licinio, christianam religionem in æternum stabiliverimus, postquàm repetitis cladibus barbari mutatam cum Diis fortunam intellexerint, depositisque sensìm erroribus, velut in unam familiam coalescet orbis et paci acquiescet, quæ jamdudùm animo volutavi consilia expromam. Mirabuntur posteri jàm inclinantem rempublicam splendidiorem amplioremque resurrexisse, et Constantinum sicut Romulum ad imperii romani gloriam fatalem exstitisse prædicabunt.

DEUXIÈME PRIX DES VÉTÉRANS.

B. ÉDAN, Elève du Collége de Henri IV.

Même sujet.

Si unquàm omnipotens arbiterque victoriæ Deus vos, commilitones, universo terrarum orbi spectaculo proposuit, ut magna insigniaque virtutis vestræ ederetis specimina, tùm potissimùm hodiernâ die. Quantùm animi roborisque ad debellandas barbarorum cohortes, ulciscendasque romani nominis injurias, habueritis, satis superque pendentia Dei delubris tropæa hostiliaque spolia documento sunt. Nunc major præclariorque vos causa vocat; nunc dignior vobis panditur campus : vicistis viros, nunc Deos vincite.

Quis enim, si consideret quibus auspiciis arma ceperitis, quanta sint vobis victoriæ incitamenta; si utrumque exercitum, signaque utrinquè præfulgentia intueatur, non dicat : « vicistis »? Illinc scilicet occurrentia ac veluti minitantia conspiciuntur Deorum simulacra toties christiano saturata sanguine, Feretrius ille Jupiter, Marsque Bellator ille, cæteraque

illa numina, quibus hostes, prælium inituri, exuvias vestras caputque meum devoverunt; adest turpissimâ sceleratorum hominum servorumque colluvie conflata multitudo, cui vel ipsa pugna ministerium est; adest et ipse Licinius diræ superstitionis assertor, scelerum satellitio suo stipatus, qui, postquàm domi crudelitatem suam fatigavit, convertit in externos; adest etiamnùm à sacris suis, nempè à cæde recens, paratusque, si vicerit, proscriptiones suppliciaque in christianam gentem instaurare. Hîc verò nos Christo auspice militamus, non prædæ spe, sed communis salutis causâ, neque ut gentium sanguine ac divitiis saginemur, sed uti pacem felicitatemque universo mortalium generi pariamus. Illinc stant scelera, avaritiaque et dedecus; hinc justitia et pietas gloriaque: illinc ignavia et servitus; hinc virtus et libertas: illinc deniquè pugnat Jupiter; hinc Christus: ità ut conjuratæ Paganorum vires divinitùs in unum confluxisse videantur, quò ampliorem stabilioremque triumphum ederetis, certiorique ictu aquilas ethnicasque religiones crux victrix everteret.

Quot igitur quantasque Deo gratias, commilitones, agere debemus, quòd electi potissimùm fuerimus qui confirmatum certumque faceremus Christi imperium, et orbis terrarum in discrimine missi fata dirimeremus! Etenim quid aliud in hoc campo disceptatur, nisi utrùm obsoleti atrocesque resurgant ritus, stolidaque veterum sacra, an vera sanctissimaque religio prævaleat? Utrùm Neroniana illa redeant tempora, quùm pessimi mores pessimisque moribus congruens

servitus, quùm omnes in scelus præcipites ruerent, et, optimo quoque per delationes insidiasque sublato, nulla alia gloria, præter fortissimæ mortis gloriam, relinqueretur: an, Deo auspice, ad meliora tandem homines queant exsurgere, excussâque longi servitii infamiâ, caput attollere romanus populus possit? Uter deniquè dominetur in Capitolio Christusne an Jupiter? Rursùsne videbimus inanem Jovis imaginem in templis, quæ nuper incolebat Christus, impunè insidentem? Rursùsne videbimus nefarium pontificem illa altaria, ubi se Christus devovebat, pecudum cæde polluentem? Rursùsne videbimus infelicissimam Christianorum gentem à feris bestiis, plaudente plebe, dilaceratam? Proh! Deum immortalem! Jàm diutiùs tuus populus inter supplicia cruciatusque versatur! Hæccine tu siveris? nonità sanè: en adest illa optissima requies; advenit tempus quo tandem ab longâ calamitatum continuatione respirare licebit; nec jàm solo dabitur in cœlo felicitas, et pòterunt hìc quoque juris esse sui Christiani.

Verùm jàm video vos, commilitones, prælium votis maturantes, imperatorémque vestrum cunctationis incusantes; jàm video frementia ora, spirantesque ultionem ac victoriam vultus. Vincetis vos, Deo commilitone, vincetis; sed ipsâ in ultione vestrâ mementote vos Christianos esse; caveatis, precor, ne victoriam vestram non integram totamque habeatis; caveatis ne triumphantibus vobis, victumque Bysantium ingredientibus aliquis dicere possit: « vicistis quidem, Christiani, sed utì vicissent et ipsæ barbaricæ

gentes : ubi vicissent et ipsi infensissimi romano nomini hostes; abite igitur cum novâ notissimâque istâ religione vestrâ, vos qui, quùm majores nostri eum, à quo miles servatus fuisset, coronâ donarent, vix ultimum quidem civem romanum vitæ permisistis. »
Absit ut tantum nomini christiano decus inuratur! Hostes hi quidem sunt, romani tamen, et fratres quorum si mala perniciemque Christianis inferre est, iis parcere Christianorum sit. Itaque ego imperator, præmia me ei daturum polliceor, non modò qui commilitonem servaverit, sed etiam adversarium captum illæsumque adduxerit. Imò : utinam quoque victoriæ vestræ clementiâ victi, eam, cui salutem suam debuerint, amplecti religionem velint! Proh! felicissimam romanam gentem, si, ejurato inanium obsoletorumque numinum cultu, et exstincto discordiarum incendio, sub Christi Capitolini auspiciis, quasi renovatâ juventute, possit revirescere! Neque desperem ego, nisi fallax animus vates sit, quin aliquandò id contingat.

Ite igitur, ite, fortissimi commilitones, quos tanti operis gloria manet; primo concursu superstitionem prosternite, palàmque appareat quantò virtuti romanæ, Jove auspice, præstet, auspice Christo, romana virtus. Tuque, Christe, si semper pro nominis tui gloriâ pugnavimus, semper Deorum simulacra vanasque religiones, quoàd potuimus, evertimus, succurre tuis, obsecro; totque tantisque victoriis ac triumphis impone magnum diem. Et vos, beatæ martyrum phalanges, adeste nunc vestris quondàm commilitonibus

pro Deo dimicaturis, istamque virtutem vestram, quâ dolores, suppliciaque vicistis, pectoribus nostris infundite, ne impia gens gloriari possit Jovem à se, renitente nequicquàm Christo, in divina jura fuisse restitutum.

CONCOURS DE 1822.

PRIX D'HONNEUR.

CARDON DE MONTIGNY, Elève du Collége de Henri IV.

Archelaüs rhetor quidam Rhodius, quo magistro Cassius olim usus fuerat, ab eodem Cassio Rhodi excidium deprecatur.

QUANDO ità fato datum erat ut circumdatas urbi nostræ Romanas legiones, hostiles illos classium apparatus, et imminentem nobis luctuosissimæ obsidionis terrorem cerneremus, maximum istius infortunii solatium ac levamen est, quòd tu, Cassî, potissimum nobis oblatus sis, à quo triste excidium deprecaremur. Etenim si unus ex illis ducibus adesset (quales apparuêre luctuosis istis reipublicæ temporibus), qui, bella privatæ utilitatis causâ gerentes, nihil ex victoriis nisi augendæ fortunæ occasionem quamdam, facilioremque ad invadendam rempublicam aditum quærerent, supersedissem loqui, ratus nullius momenti apud

illum fore societatis jura, quem ab opprimendâ patriâ nulla religio abstinuisset. Nunc te alloquor, quem, cùm ex veteri nostrâ illâ familiaritate, tùm ex præclarâ rerum gestarum famâ, non minùs Græcorum amicum quàm libertatis studiosum noverim. Qui quùm, afflictæ reipublicæ ultor, legum omnisque juris vindictam tutelamque susceperis, et maximâ tùm universas Græciæ civitates, tùm nos præcipuè Rhodios benevolentiâ amplexus sis, quis verendi locus esset ne urbs illa nostra omnibus bonis artibus exornata, et quæ cum Romanis antiquissimâ fœderum sanctitate conjuncta, constantissimam semper fidem, nec inutile aliquandò auxilium præstiterit, à te everteretur? Veniat in mentem quoties et quanto periculo nostro armis vestris subvenerimus, quantas bellorum pro vobis subierimus tempestates, quanta etiam præmia societati vestræ posthabuerimus. Atque, ut cætera bella omittam, quâ ullâ in gente, quantùm in nobis, præsidii tantùm fuit, quùm Mithridates ab extremâ clade, ac propè universo rerum suarum excidio in maximæ fortunæ amplitudinem subitò evectus, consterneret maria suis classibus, eòque efferatum victoriis animum extolleret, ut, expulsis Romanis, belli incendium, quo tandiù Asia conflagraverat, in Italiam transferre vellet? Tunc quantæ audaciæ fuit potentissimi regis sustinere impetum, et hanc belli molem quæ nobis immineret, in nos suscipere! Quid! quùm Demetrius totius in vos Orientis concitaret vires, quantâ constantiâ vel prosperæ vel adversæ fortunæ vestræ adstitimus! Quis fuit unquàm locus qui, quo-

eumquè arma vestra contuleritis, nos periculorum socios non prospexerit? Quot præliorum etiam discrimina solis pro vobis adivimus! Nùm periculosissimum illud gestum cum Antiocho magno bellum commemorem? Qùum, Annibalis ingenio famâque fretus, Græciam circumiret rex superbissimus, hinc graves inimicitias, indè magnifica societatis suæ præmia ostentans; quàm multæ exstitêre inter Græcas urbes quas terror aut spes amplioris fortunæ in ejus partes traxit; quæ tuta quàm justa arma sequi maluerunt; quæ, perruptis omnibus societatis vinculis, cum Antiocho contra vos militaverunt! Restitimus nos soli in hâc universæ Græciæ defectione fideles, in laborum communionem vobis accessimus, quidquid nobis erat virium totum illud in causæ vestræ tutandæ præsidium conferentes. Nec tunc quidem Rhodiorum societatis vos pœnituit, quùm in hâc Asiatici belli longinquitate exercitus vestri inter infensa aut ignota omnia exsulantes, in hâc urbe perfugium quoddam et novam quasi patriam invenerint.

Quæ propter et cætera omnia quibus tàm præclarè de vobis meruimus, prorsùs indignum esset huc recidisse ut nunc iræ Romanæ tempestas tota in nos sese effundat, et immeritam obruat civitatem. At enim Dolabellam adjuvimus : verùm enim verò quid aliud quàm vetus illa romano nomini opitulandi consuetudo ad id nos impulit, ut adjuvaremus? Quid mirum, si discordiarum civilium propè ignari, Rhodii romanum ducem auxilium nostrum nomine populi romani implorantem, invocantem societatis jura non repulimus?

Nùm, si quid discordiarūm Romanis intersit, socii nos plectendi sumus? Nùm sicut impetum exterorum hostium, ità populi furores, ducum ambitionem, tumultusque fori coercere in nostrâ potestate est? Nùm dissensiones illæ quibus respublica et universus propè orbis distrahitur, ex parvulâ civitate nostrâ ortæ, in tantam latitudinem sese extenderunt? Nùm deniquè in hoc maximi imperii dissidio tanti momenti una insula sumus, aut ad alterius partis societatem ità impelli debemus, ut hinc reposcatur auxilium, illinc dati auxilii pœna repetatur? O miseram urbem nostram! O infelicem patriam! Non tunc querendum fuit, quùm copias tuas dux iste Romanus in civilium dissensionum furores adigeret! Nunc venit alter qui, tanquàm luctuosissimi belli acerbitatibus non satis miseriarum in te exhaustum esset, quasi infortunii pœnam, triste excidium invehit! Jàm tibi parantur faces et incendia, nec longum aberit donec scandentes mœnia tua Romanas legiones vastantesque omnia, Cassio duce, conspicias!

Verùm enim verò etiamsi tibi, vir præclarissime, justus esset in nos sæviendi locus, nonne unus ille urbis politissimæ Græcorumque refertæ disciplinis aspectus satis magnum ad misericordiam incitamentum esset? Nonne verecundia quædam et religio obstare videtur, ne illud quasi bonarum artium hospitium, ex quo tàm fausta non in excolendis tantùm litteris, sed in regendâ etiam republicâ ingenia exhorta sunt, à te deleatur? Nonne id satis ad præsidium valere deberet quod in civitate nostrâ ad laudem dicendi sese informaverit

vindex ille romanæ libertatis Tullius, qui solâ vi eloquentiæ tandiù sceleratissimæ improborum omnium conspirationi unus restiterit, ac properantem ad servitutem populum romanum in libertate suâ retinuerit? Atque utinam vir ille præclarissimus adesset! Hanc certè eloquentiam, cujus initia intra mœnia nostra fuerunt, huic nostro depellendo adhiberet periculo, et qui quondàm afflictam ac penè jacentem rempublicam ab incendiis, cædibus et imminente excidio, tantâ laude vindicaverit, ad obtinendam salutem nostram apud eum certè valeret, cum quo virtutum consortium quoddam, et in patriam amoris præclaram æmulationem habere videtur.

Verùm quid Tullii intercessione opus est? Nonne ipse in hâc eâdem civitate nostrâ institutus ac propè educatus es? Exciditne animo quanto studio urbs nostra adolescentiam receperit tuam, quantâ per tot annos curâ foverit, et ad græcarum artium decus informaverit? Quid! quùm te litteris placidè indulgentem, nostrisque immixtum studiis intueremur, putaremus olim te eum fore à quo urbs nostra everteretur! Quùm te abeuntem desideriis prosequeremur, et quasi lacrymis retinere videremur, putaremus te nunquàm, nisi in patriæ dilectissimæ excidium nostræ, esse rediturum? Verùm enim imperare dolori tuo ac misericordiam continere poteris, quùm ferro flammâque vastata illa urbs, quæ, sedula adolescentiæ tuæ nutrix ac magistra propè facta, tàm gratam olim tibi sedem præstiterit, funestatæque bello, omnique infamiâ contaminatæ illæ ædes, in quibus ingenuis litterarum stu-

diis indulgebas, oculis tuis obversabuntur? Nùm civium clamores et questus sustinebis, inter quos amici, sodales, magistrique tui communi ruinâ miscebuntur? Eversi Rhodii quid aliud quàm ingrati in nos sævique animi tui monumentum erimus?

Quantò meliùs non gloriæ tantùm, sed fortunæ etiam tuæ conveniens esset, si fidelissimam populo romano urbem, veteris amicitiæ memor, servares. Ne novam inimicis tuis criminandi causam subjicias, quorum si tanta injiciendæ in te invidiæ cura est, quanto studio clade nostrâ usuros credis ad concitandos in Rhodiorum eversorem Romanorum animos! quanto odio exarsurum in te, Cassî, populum ipsum, qui longâ bellorum continuitate nobis fidelissimis sociis uti assueverit!

Te ergò per si qua meî ex veteri familiaritate post tantam fortunæ nostræ mutationem, conversionesque temporum, grata memoria superesse potest, te, per sancta amicitiæ jura, fas gentium, per quæque nos societatis fœdera jungunt, obsecro obtestorque ne id consilii suscipere velis, ex quo non magis salutis nostræ, quàm tuæ gloriæ cura avertere te et revocare debeat.

DEUXIÈME PRIX.

GRATRY-MAILLARD, Elève du Collége de Henri IV.

Même sujet.

Si hoc ità fato datum erat, ut Rhodiorum civitas, nunc, ut olim, maximo in Romanos studio animata, à Romanis in excidium peteretur, miror equidem et vehementer doleo, te potissimùm ducem inventum, qui bello præesses, idque ludibrium fortunam edidisse, ut græcam urbem, Græcorum amicissimus, et Rhodiorum civitatem veteri libertatis studio nobilem, libertatis assertor, veneris aggressurus. At enim quùm te nuper populares fremitus, et apparatus tyrannidis, et Cæsaream fortunam, privatâ fortitudine aggredi ausum, et antiquæ virtutis et ferociæ facinus vidimus ineuntem, te eum esse credidimus qui libertati quoque aliorum faveres, non invideres, nec eamdem virtutem in propriâ libertate vindicandâ, et in alienâ opprimendâ, æquè vigentem fore sumus arbitrati. At herculè, aut ego indolem tuam ignoro, aut nonnihil

ab incœpto refugit abhorretque animus, nec adeò immutatus es, ut sapientiæ tuæ ducas si plus apud te valeat culpæ quædam species et vana defectionis suspicio, quàm clementia et dignitas tua, aut justitiæ, si fideles usquè socios, nec mediocribus in rempublicam meritis expertos, unius facti invidia crudelissimæ apponat ruinæ.

Non enim apud vos tam fluxæ gratiæ existimo esse beneficia, ut, quæ multis et magnis tempestatibus propter vos, nostro labore, periculo, atque impensâ egerimus, ea jam veteris et obsoletæ memoriæ videantur. Qùam prompta in dubiis rebus vestris Rhodiorum civium semper fuerit voluntas, bella cum externis regibus suscepta documento esse valeant. Ecquis enim sociorum fide, amore nos antecelluit? Nùm uno die dubitatum est an tot bellorum terrorem, quem avertere ab insulâ nostrâ licuit, nostro quoque periculo depelleremus? Nec, credo, voluntate magis quàm re et factis benè de vobis meriti sumus, quùm partìm opere nostro, Mithridaticus ille furor, qui in romano imperio evertendo tam tenax hæsit, depulsus atque absumptus fuerit, nec, adversùs Demetrii atque Antiochi magni ambitionem inexpletam, parva, ut arbitror, accessio viribus vestris, Rhodii in partem belli et societatem venimus vestram, classium robore et maritimis artibus prævalidi.

Non tamen ad id præterita merita nostra valere arbitror, ut, si quid hodiè à nobis sit peccatum, id totum, qualècumque est, remittatur; imò nullam pœnam

deprecamur, nisi omnem defectionis culpam procùl à publico consilio semper abfuisse attenderis. Jàm primùm quid aliud quàm admonendus es, ne, quæ culpa temporum fuit, eam nostram esse ducas; ne nobis id crimini vertas, quod ducis hujus, non illius partes secuti fuerimus, quo tempore romana res dimidia hinc, dimidia illinc, ne secum quidem ipsa concors, videbatur; ne nobis illa demùm culpa exitiosa fiat, quæ tot quoque romanorum est, à quibus nemo erit qui pœnas repetet? Id nos unum sceleratos facit, quòd Romani discordiis laboravêre. Quid enim? si perpetuus fuisset pacis amor, si nunquàm Cæsareæ aut Pompeianæ partes extitissent, nos hodiè bellum exitiale deprecaremur, et classes infensas admoveri insulæ nostræ videremus? Quid enim nobis agendum erat, ne Romanorum gratia auferretur? In hoc atroci potentis imperii dissidio, infelix civitas nostra, ad alterutrius partes, sicut ipsæ civitates romanæ, impellebatur : non mediam consilii viam carpere potuimus; ea enim non media, sed nulla fuisset; quid enim aliud quàm, nusquàm gratiâ stabili, velut qui eventum expectaverimus ut fortunæ applicaremus consilia nostra, hostes nos socii visi essemus? Delectus igitur faciendus erat, utiquè nobis exitiosus : si petentibus auxilia non dedissemus, hæ pariter infensæ fuissent; si dedissemus, illæ; atqui, si quùm negemus, præsenti odio, et quùm annuimus, futuris bellis objicimur, quid nobis faciendum erat? Quænam vestra societas nobiscum est, si, dùm alii libertatis, alii imperii

modum nolentes, veneno discordiarum civilium omnia inficitis, ad nos utiquè clades et exitia redundent?

Si non minùs indoli tuæ quàm causæ nostræ confido, hæc profectò civitas, plena Græcorum disciplinis, liberalium artium studio nobilissima, sinus ipse, ut ità dicam, et recessus omnis doctrinæ, tibi digna videbitur cui condonetur aliquid. Tibi scientias cultu quodam prosequi assueto, sacra insulæ littora cernenti, non ira excidit? non succurrit in eâ ipsâ urbe salutem Romæ ut ità dicam partam esse, quæ Tullium vestrum eloquentiæ felicibus armavit delinimentis? Cassius ergò patriam alteram parricidio quodam petere potuit, à quâ non civis titulo, sed optimi et fortissimi civis virtutibus decoratus est? Cassius matrem alteram aggressurus est, quæ eum non vitâ donavit, sed iis, quæ ad optimam vitam habentur necessaria, imbuit instituitque? Ergò te ideò incauta nutrix sinu excepit ingratum, ut hos ex te fructus perciperet, qui manent eam, ut sedem adolescentiæ tuæ, bellator cæcus, igni, ferro, quâcunque vi erueres, et magistram studiorum prosterneres, non minore hujus qui fecit scelere, quàm eorum qui patiuntur luctu et acerbitatibus?

Hanc tu labem inuri gloriæ tuæ non patere, Cassî; sed quod te dignum est amplectere. Quæ modò libertatem patriæ tuæ peperit dextra, non alienam hodiè opprimat. Si te nihil aliud, saltem prohibeat justitia; ne huic civitati crudelissimum afferas exitium, quæ geminos fovit sinu suo viros, fatalem utrumque ad salutem reipublicæ, quorum alter vi eloquentiæ, alter

manu valeret. Vide quod referam civibus meis responsum. Ne plus apud te ultimus ille dies, si quid in illo peccatum est, quàm tot annorum series fidei intemeratæ valeat; quot fœdera inter utramque gentem amicitiam sanciverint, recordare; et arma procùl abjicias, Deos priusquàm homines violatura.

CONCOURS DE 1823.

PRIX D'HONNEUR.

DROUYN DE LHUYSS, Elève du Collége de Louis le Grand.

Leo quartus, summus pontifex, Romanos hortatur ut prœlium adversùs ingruentes Sarracenos fortiter capessant.

UNDÈ alios, Christiani milites, timor ac desperatio invadere solent, hinc mihi animum subit summa victoriæ spes atque incitamentum, scilicet quòd soli, sine ope externâ, belli ingruentis procellæ sumus restituri. Etenim quùm summus ille rerum humanarum arbiter Deus ità cæteris regibus populisque consilium eripuerit ut, in communi omnium Christianorum discrimine, perindè ac si quid alienum disceptaretur, compressis sederent manibus, quid aliud quàm significavit nostram seipsum amplecti causam, et nobis pro sociis, pro scuto, pro gladio esse futurum? Nùm sic gentem suam, augustissimum hoc divinæ majestatis domicilium, et urbem hanc Christianæ fidei arcem nuda atque omni

humano præsidio destituta immanissimi hostis furori objecisset, nisi hæc tutelâ suâ circumsepire decrevisset? Non ità: non cæterarum gentium nobis auxilium invidit, sed exteris gentibus victoriæ consortium, ne quid à divini beneficii laude humana superbia possit decerpere, atque ut ipsius potentia et nostra simul fortitudo indè speciosior emineret.

In hoc igitur bello, ut solis nobis incumbent omnia pericula et labores, sic in nos, secundùm Deum, gloria omnis redundabit. Enim verò non videtis vos Asiæ et Europæ esse spectaculo? in nos omnium ora atque oculos esse conversos? vestra arma, vestrasque manus, quidquid Christianorum est intueri, exspectantium nempè, dubiis et spem metumque inter pendentibus animis, qualis futurus sit tantæ contentionis eventus, et uter, Christus an Mahumetus in orbe sit dominaturus? Vos deniquè à summâ cœli arce despicit Deus omnipotens, an ejus auxiliis digni sitis experturus.

His testibus, Christiani, vobis hodiè dimicandum; his testibus, æternam aut laudem, aut ignominiam estis paraturi. Quantam enim vestram per hominum ora futuram esse famam arbitramini, quùm illud per gentes vulgabitur prodigium, vos incumbentem Europæ Asiam propriis viribus vestris sustinuisse, imò repulisse, impendens Christianorum cervicibus rejecisse jugum, et Deum impiis circumcinctum armis, ac velut in suis penetralibus captivum liberavisse! Quid tùm erit quòd illis veteribus Romanis invideatis, quùm ejus orbis, cujus illi domitores dicti sunt, vos servatores dicemini? Indè apparebit quantò christiana religio

ethnicæ præstet religioni, quòd arma, quibus ad gentes impugnandas illi utebantur, nos Christiani nunquàm nisi ad defendendas attingimus.

Victoriæ præmia et gloriam quàm cladis mala et opprobrium vestros ante oculos proponere malo, ne minùs virtutem vestram gloriæ studio incendere quâm ignaviam pudore et metu sollicitare videar. Attendite tamen quantum venerando huic Christianorum nomini dedecus inuretur, si infra officium vestrum et omnium exspectationem subsideatis? si quos à mœnibus nostris repellere vel moriendo deceat, illis ne cruentam quidem victoriam dederitis? quàm fœdum, quàm deforme esset, si in hâc urbe populis dare leges tot jàm à sæculis assuetâ, tetram barbararum gentium colluviem regnare sineretis! Ergòne Italiam à patribus nostris tot laboribus occupatam, tot deindè nostris defensam periculis immanissimæ Sarracenorum genti servavimus? Ergòne ex hâç Capitolinâ arce Jovem, Minervam, Martem et vana omnia Ethnicorum numina ejecimus, ut in eâ Mahumetus sedem domiciliumque suum institueret, et eam, (horreo dicere) detestandis pollueret sacrificiis? Christus Mahumeto, nos Christiani Sarracenis serviemus! Sacra supremi numinis templa temerabuntur! Calcabitur veneranda crucis effigies! Sancta vasa quæ vel attingere sit nefas, in profanos usùs redigentur! Hæc viris, hæc Christianis toleranda!

At non in templa tantùm sacrilegas avarasque porrigent manus. In privatas etiam domos sæviet impotens et importuna barbarorum dominatio, nec quis-

quam tutò erit, cujus in domo Sarracenorum avaritiæ aut libidini erit locus. Urbs nostra quotidiè capietur, quotidiè diripietur, nec priùs erit cædibus aut rapinis modus quàm se ferus hostis sanguine spoliisque nostris saginaverit.

Videre mihi videor hostilem exercitum insolenti subnixum victoriâ, urbem hanc intrantem, et invectam simul servitutem omniaque servitutis mala; raptos ad remigium juvenes, senes ad cædem, virgines ad stuprum, et divulsos à parentum amplexu pueros. Horretis quidem atque abominamini: tamen omnia hæc ante portas sunt: modò cessamus, et mox romanum agrum Sarracenis arari, urbem hanc Mahumetanum pagum, Italiam deniquè, Europamque omnem Asiæ provinciam fieri videbitis.

Europam dico; non enim intra Italiæ fines subsistet tetra illa pestis, neque simul cum Romanis bellum, et cum cæteris Europæ populis pacem sperat gens immanissima. Suprà quàm nos sumus illius ascendit cupiditas, nos primùm servos, mox instrumenta servitutis habitura. Non semper ubi detonuit tempestas, hìc omninò desævit. Pateat Italia, mox, remoto veluti repagulo, in terras circumjacentes prosiliet ferum illud belluarum genus. Nonne intelligitis hinc, tanquàm ex arce quâdam, hos nostris auctos viribus, per omnes gentes cædem, vastationes, vincula, impietatem et ferinos suos cultus ac mores esse illaturos?

Itaque non vestros tantùm fines defenditis, fortissimi milites, sed hic omnis periclitatur Europa. Tantò acriore animo ad incendium illud exstinguendum con-

currite, quò mox omnia latè conflagrabunt, nisi vestris oppressum armis subitò deferbuerit. Ut non loci, ità neque præsentis temporis finibus vestra continetur victoria. Omnibus Christianis æternam pacem ac salutem in posterum asseretis. Quid enim periculum est, ne, exterminati semel ex Italiæ littoribus, et per incerta maris, per tot pericula et labores, nihil præter vulnera et cædes adepti, in oris suo sanguine respersis rursùs adeant?

At ne arbitremini quàm speciosa erit victoria, tàm asperum et tàm difficile futurum esse bellum. Illi per rapinas et latrocinia grassantur, justo bello vincere nesciunt, et plus minarum et terroris in prælium, quàm virium et fortitudinis afferunt. Prætereà quantùm in me fuit, omnia paravi, disposui, ordinavi, ne quæ consilio occupari possunt, incertæ fortunæ relinquerem. Quacumquè oculos circumfertis, turres, munimenta, omnia bello rigida atque horrida videtis.

Verùm enim verò quid hæc loquor, quæ ab hominibus facta, ab hominibus quoque everti possunt. Est, est aliquid, Christiani milites, omni vallo, omni munimine validius, quod nulla vis labefactare aut affligere valet; pietatem dico, et certam in Deo fiduciam. Audete modò vincere et victoria vestra est: prælio omnique bello vicerimus. Sint licèt numero superiores, quid timendum Deo duce et commilitone? Non minùs ad vincendum valent sublatæ ad cœlum, quàm armis instructæ manus. An hostes numerabant Judæi, quùm in Philistinos divinis freti promissionibus procederent? Agitedum: quin et nos, Christiani, non quàm multi, sed

quàm propitio numine, prælium simus ituri reputemus. En illa, illa crux quam Deus veluti certum victoriæ pignus et signum quoddam ad sperandum extulit. Hæc agmini præferetur, hæc iter ostendet, hæc in barbarorum cohortes ultricia fulmina devocabit. Omnes ad suas naves trepido agmine confugient: conficiet tempestas quod bellum incœperit, ut ne unus quidem ad suos rediturus sit, qui se sacram Deo urbem impugnavisse possit gloriari.

DEUXIÈME PRIX.

JANOLIN, Elève du Collége de Bourbon.

INSTITUTION BARTHELEMY.

Même sujet.

Si rex tantùm ego regnum meum, vos patriam cives, defensuri essemus, Romani, tamen et me pro meâ in subditos, et vos pro vestrâ in patriam caritate, fortissimo adversùs communem hostem animo, concurrere deceret; nunc autem me veri Dei pontificem, et vos Christianos adversùs Christi acerrimum hostem processuros quanto eniti decet ardore, ut non meum modò, sed Christi quoque regnum, non vestram, sed veræ quoque religionis patriam, ab impuris manibus eripiamus! Erumpere enim ex latebris suis barbaros, in intima pacatæ regionis viscera bellum inferre, per incendia, per ruinas usquè ad sacrosancta Romæ ipsius mœnia grassari, hinc servitium, indè mendacis sui prophetæ legem imponentes, quis ferat, quis non indignetur? Quorum audaciam, Romani, ut tàm felici quàm piâ fortitudine refrenetis atque omninò

opprimatis, postulat illa romanæ sub falsis numinibus virtutis gloria, à cujus hæreditate degenerem sub Christo Romam excidisse, tùm vobis, tùm ipsi religioni turpe foret; postulat illa pietas vestra vestrorum libertatem salutemque vel vitâ redimere semper parata; postulat demùm utilitas christianæ fidei quam non necessariâ solùm, sed etiam facili victoriâ à tantâ injuriarum fœditate vindicetis oportet.

Tacent quidem in illo nostro periculo Oriens Occidensque civilibus discordiis intùs uterque laborantes. Hinc enim nutans adhuc in solio, undè Ireniam dejecit, imperator; illinc pater natorum insidiis circumventus, rex in privatæ conditionis sordes non semel depressus, et à pœnitentiæ ignominiâ recens, præsidia sibi undiquè circumspiciunt, nedùm ferant aliis; nosque nostros omnes socios, auxilia omnia jàm in solâ virtute habere fateor. Sed (ut vos domesticis solummodò exemplis adhorter) nullum nisi virtutis auxilium habuêre majores nostri, quùm scanderet Tarpeiam rupem Gallus, quùm posita intra Anienem Annibalis castra Romæ muros terrerent; strata tamen et jacentia omnia erexit, sustulit sola per se virtus : sola deturbavit à Capitolio Gallum : sola inter semiruta Bruttiorum castella Annibalem compulit; quin igitur eâdem virtute eamdem quoque laudem adipiscamur? Deorum sedes Gallis erepta est; eripiantur Mahumetanis Christi templa. Quod tùm falsa Jovis Capitolini fulmina potuisse creditum est, possint hodiè veri Numinis cultores; Europaque omnis sanctâ admiratione prosequetur viros qui omni alienâ ope destituti, sed in

rerum suarum ruinis semper impavidi stantes, à sanctissimo religionis hospitio sacrilegos Mahumetanæ impietatis furores propulsaverint, et à cervicibus suis jugum depulerint barbaricum.

In quantum verò contemptum recideret illa antiqua romani nominis majestas, si, ex fortissimis ignavissimi subitò facti, ex patriæ defensoribus desertores, obvii hostibus curreretis, manus in salutem Romæ armandas vinculis ultrò offerentes! Quantùm spernerent, quantùm abominarentur populi ignavam et infidam gentem quæ, ne certaminis quidem fortunam experta, in vincula, quùm posset vivere libera, præceps ruisset; quæ servitium cum ignominiâ quàm libertatem cum gloriâ maluisset; quæ secum patriæ, sub cujus ruinis consepeliri meliùs erat, mœnia, templa omnia, et suum ipsum, nefas! Deum victum captivumque hostibus infami istâ deditione tradidisset, acceptis vinculis, mox numen aliud à Mahumetanis acceptura!

At quamvis nullum apud tales viros plùs quàm laudis momentum valere existimem, ne solâ ignominiâ ignaviam luituros vos esse confidatis. Ferenda et alia erunt, quæ vestra pietas horreat. En parentes, en conjuges, en liberi vestri, nisi pro munimento corpora opposueritis, nisi veluti arx firmissima tuendæ illorum salutis virtus vestra steterit, parata hostibus præda sunt, quidquid victoribus collibuerit, passuri. En videte illos omnes, qui in ipso libertatis et veræ religionis sinu nati educatique, illæsos hactenùs à servitutis sacrilegiique contactu oculos servaverant,

ex libero pioque Italiæ solo avulsos, ultra marium intervalla, in servitutis impietatisque domicilium traductos. Videte illos partìm in carceres dejectos, partìm damnatos ad remigium, partìm immani dominorum suorum sævitiâ mactatos; felices etiam nimiùm, si ultimas miserias, si cruciatus exquisitissimos, si necem ipsam infidâ à Deo suo defectione non redimunt!...... Ah! fortissimi cives, nonne ingruentem tantam malorum molem à conjugibus, liberis, parentibus, impavidâ virtute, depelletis? Nonne audaces istos prædones sternetis, profligabitis, ad internecionem occidetis, quùm gloriam vobis, pignoribus vestris libertatem, Italiæ christianæque simul fidei pacem ac securitatem vindicatura una victoria sit? Nec fœdam istam procellam in tempus solummodò declinatam, mox autem novo in nostra capita furore detonituram esse arbitremini; propulsa semel in æternum propelletur; nec clade suâ funestatæ Italiæ oras latrocinio unquàm isti posteà violabunt. Testis enim, testis Gallia, quam suo Mahumetique jugo in illâ suâ audaciâ submittere decreverant; illorum sanguine semel imbuta, nunquàm reduces Abderami phalanges conspexit. Si primi ergò Mahumetanorum impetus ad nostram virtutem, tanquàm ad firmissimum scopulum, allisi fuerint, tunc cæsi à Gallis, ab Italis profligati, nonne Europam omnem horrebunt, et forsan cladibus suis edocti, hunc verum esse Deum tandem arbitrabuntur, qui colentes se populos amore suo quasi muro immenso inexpugnabili circumsepsit? Amplissimus verò victoriæ ille fructus, qui vel summis laboribus emen-

dus foret, minimè constabit. Qui sunt enim isti Romæ obsessores, propè isti vastatores Italiæ, nisi prædonum turba, sine arte, sine disciplinâ, nisi eorum reliquiæ quorum adhuc sanguine fumat Gallia? Nunc ergò quòd usquè ad nos, nemine obstante, victores progressi fuerint, quòd vicos aliquot expugnaverint non defensos, nos oblitos arbitrantur quot suorum millia sub Christianorum quoque armis non ità pridem occisa ceciderint. Albescunt etiam nunc, ô cives, strati eorum ossibus Turonis campi, nec talem etiam audaciæ suæ exitum perhorrescunt, et huc usquè grassantur, quasi ut propiora Dei fulmina provocent! Sentiant ergò, sentiant se cum Christianis adhuc pugnare. Irruamus modò in inconditam manum, moxque illos, urgentibus vobis fugam, scelerum suorum receptacula navigia repetentes, et in undas suas resilientes videbitis. Imò verò, hinc vobis, illinc Neapolitanis Caietanisque, qui arma, auctore me, sumpserunt, vastâ inclusos circumcingentibus indagine, quasi uno ictu omnes tollentur, nec unus quidem funeribus suorum erit superstes, ignominiosæ cladis nuncium ad territam gentem reportaturus.

Ite igitur alacres, et spe pleni; ite, et parentes, liberos, conjuges, à servitute, à nece ipsâ vindicate. Nihil jàm à Mahumetanis timeant gentes; nihil timeat christiana religio; stent semper Christi templa; stet virtutis vestræ beneficio Roma illa pietate adhuc regina orbis terrarum. Per ego vos antiquæ gloriæ memoriam, per singularem in pignora vestra pietatem, fortissimo in barbaros animo, christianâ in Mahumetanos virtute

irruatis, de victoriâ securi. Præfulgebit enim divinum illud crucis vexillum, quod, sicut de Maxentio victoriæ præsagium et pignus affuit Constantino, ità quoque Italiam, ità Romam præcipuam religionis sedem, sanctitatis templum, et Dei velut ipsius sacrarium defendet. Tuque, ô Deus, tu, qui ex alto cœlo palmam præliorum meliori semper causæ detulisti, da nunc Christum de Mahumeto, ut quondàm de Jove retulit, triumphum referre, et cœleste illud signum crucis nunc ad firmandum servandumque cultum tuum, quemadmodùm olim ad stabiliendum et constituendum, fatale esse appareat.

CONCOURS DE 1824.

PRIX D'HONNEUR.

ARVERS, Elève du Collége Charlemagne.

INSTITUTION MASSIN.

Muretus Gallus, summi pontificis nomine, in Basilicâ Vaticanâ Joanni Austriaco navalem ad Naupactum victoriam gratulatur.

QUONIAM singulari quâdam Dei benignitate, illud datum est ut te impiæ gentis victorem Christiani hodiernâ die aspicerent, nullus ad persolvendas grates amplior, nullus accommodatior locus visus est quàm urbs illa veræ religionis sacrarium ac domicilium, ità ut, quùm propter religionem viceris, ipsa te remuneretur religio, atque eadem vincendi causa et merces esse videatur. Quùm igitur tanta et tàm præclara tua in christianam fidem merita novum aliquid et inusitatum præmium desiderarent, ne illi fortitudini nullâ humanâ mente, nullis humanis artibus incitatæ quidquam humani sufficeret, ipse me omnipotentis Dei

vicarius ad te misit, ut victoriam illam tibi gratularer quæ non minùs ad gloriam Dei, quàm ad hominum salutem contulerit. Nec, ut opinor, minima futura est laudi tuæ accessio, quòd ea victoriæ tuæ conditio sit, ut pacis amantissima illa nostra religio atque ab omni bellorum feritate abhorrens, triumpho tamen tuo lætari se profiteatur.

Atque ego, quò magis quot et quanta istâ victoriâ perfeceris mecum ipse considero, eò digniorem te arbitror cui insolitas istas grates summus pontifex decreverit. Quùm enim illa sit christiana religio quæ rudes barbarorum animos et insitam crudelitatem mitigaverit, omne dominorum aut servorum discrimen sustulerit, et, circumlatâ crucifixi Dei imagine, omnes ad unum idemque jus vocaverit; quùm autem ii sint hostes immanissimi qui, omnium gentium prædones atque orbi universo infensi, captivum quemque ad mortem aut ad remigium adigant et sanguineos ritus ferro tantùm propagare conentur, quis est qui miretur eum, qui perpetuam humani generis pestem ità afflixit ut recreari nunquàm posse videatur, solemnibus gratiis exceptum atque omni laudum genere fuisse amplificatum? Neque enim te gentis tantùm tuæ ultorem quisquam crediderit : quidquid perfidè, quidquid crudeliter non in tuos modò, sed in omnes omnium gentium populos, non in præsens tantùm, sed ex omni retrò antiquitate illi consuluerunt, unâ eâdemque præclarissimâ victoriâ ultus es. Quòd si igitur triumphi illius in omnes gentes beneficium protenditur, quis meliùs, quàm qui à Deo gentium omnium

tutelam accepit et patrocinium, dignas grates et merito ipsi congruas persolvere unquàm poterit?

Ille nempè litterarum amans, doctrinarum infensissimos hostes profligari lætatur : lætatur illa religio quæ disciplinarum omnium Europæ auctor, tanquàm futuram felicitatem asserere parùm esset, solatia in præsens et ornamenta comparavit, quæ, postquàm fœdâ illâ nocte in quâ tandiù jacuerat, Europa, expulsis barbaris, expergisci aliquandò visa est, quidquid immani diluvio superfuerat, collegit, veterum monumenta à barbaris deformata ad pristinum splendorem revocavit, ità ut litterarum mater appellari possit. Quale igitur gaudium esse arbitraris, quùm istos bonarum artium expertes, imò eversores cæsos aspiciat! Scilicet aderat Deus ad quem maritimæ victoriæ pars est referenda; indignatus est istos disciplinis omnibus impares usquè ad doctrinarum monumenta manus porrigere. Non enim illa est divina religio quæ tenebris gaudeat, quæ ingenii acumen reformidet, quùm eam contrà quantò quis doctior, tantò acriùs diligat atque complectatur. Id egisti, fortissime dux, ut barbaros istos flammâ ferroque accinctos antiquas illas ædes bonarum artium quasi domicilium funditùs evertere nunquàm posteà videamus, et quemadmodùm agri ab insatiabili aviditate, sic et disciplinarum monumenta immani furore prohibeantur.

Sed quid litteras loquor, quasi non majores atque ampliores fructus victoria illa attulerit? Quæ, jàm Oriente subacto, usquè ad nos processuram infanda religio minitabatur, armis tuis repressa, in latebras

suas, tanquàm fera, compulsa est. Ab istorum impetu, imò etiam à contactu istorum tuti, quod omnibus semper votis efflagitavimus, per te tandem exsequi possumus. Non enim finibus Europæ continetur nostra religio, nec eam uni tantùm populo peculiarem esse Deus voluit. Capit nempè quidquid orbis universus complectitur: quamvis autem omnibus populis debitam ad extremos terrarum fines illam propagare dudùm arderemus, obstabat impius istorum furor itineri nostro objectus. Per te autem sublatus ille metus, dux fortissime, qui non modò nostra ab eorum incursionibus servavisti, sed istos è suis ejectos ad antiquam sedem pepulisti. Patet ad Orientem, patet ad Christi sepulchrum via; quod tanto militum apparatu, tàm multis præliis reges potentissimi nunquàm olim potuerunt, id tu non ità magnâ militum copiâ, unâ pugnâ perfecisti. Quùm autem mecum ipse reputo quibus in locis memorabilis illa pugna commissa fuerit, orbi fatale illud mare arbitror. Sed non, ut Achaiâ pugnâ, uter tyrannus orbi imperitaret, sed uter, Christusne an Mahumetus omni mundo dominaretur Naupactinâ pugnâ dijudicatum est.

At tù summe Deus, qui præclaram laudem duci fortissimo tribuisti, da pergere quod cœperit; nondùm enim facta sunt quæ maximè desiderantur : ut fieri possent ille tantùm effecit, nec illa orsus est ut in medio veluti opere subsistat. Non satis est futuros vix primùm furores in omne posterum retentos ac prohibitos esse[1], nisi præterita furoris monumenta aboleantur. Respice, fortissime dux, templa illa olim,

præsente Deo, plena atque opulenta nunc nefandis barbarorum sacris violata, vasa ad indignos usus redacta, sanctorum sepulchra impiorum pedibus proculcata. Quousquè istius spectaculi deformitatem tolerabis? Piaculo egent polluta et profanata illa omnia: quin accingeris et cum hoc vexillo, quo duce parta olim romano imperatori victoria, templa illa expiare properas? Ad priscum decus, ad antiquam majestatem revocentur sacratæ illæ Deo omnipotenti ædes; agnoscant Christiani salutem suam, Barbari terrorem; aut si virium periculum facere iterùm audent, hoc signo semper Christianos vincere experiantur.

FIN DES DISCOURS LATINS.

DEUXIÈME PARTIE.

DISCOURS FRANÇAIS.

CONCOURS DE 1757.

PREMIER PRIX.

LA HARPE, Elève du Collége d'Harcourt.

Un sénateur exhorte Pompée à défendre Cicéron contre Clodius.

Si jamais on a pu voir que le sort des états est attaché à celui des grands hommes qui en sont l'appui et l'ornement, c'est surtout dans ces temps malheureux pour Rome, où l'audace va triompher de l'innocence, où la tempête qui menace la tête de Cicéron semble ne devoir éclater sur lui, qu'en écrasant la république. Vous ignorez sans doute, illustres Romains, l'état affreux de la patrie. La maîtresse du monde est dans le désordre et l'effroi; l'horreur y règne de toutes parts; les lois ne sont plus respectées, la violence décide de tout, la place publique est devenue un champ de bataille où le fer à la main chacun défend ses droits; le sang coule dans les temples, et le crime triomphe jusqu'au pied des autels. L'audacieux Clodius, escorté d'une troupe insolente d'esclaves armés, tient le sénat comme assiégé,

et fait taire les lois devant lui, et ce faible conseil, craignant la mort plus que le déshonneur, va livrer Cicéron à son implacable ennemi. Ah Pompée! quelle honte pour les Romains, s'ils laissent leur conservateur succomber sous les violences d'un scélérat! Quel serait l'étonnement de l'univers et l'indignation de la postérité! On verra donc errant de contrées en contrées, banni de sa patrie, ce grand homme à qui elle est redevable de son salut; cet homme, je ne dis pas le plus grand des orateurs, le plus grand des philosophes (ce sont les plus faibles titres de sa gloire), mais le plus intrépide défenseur de la liberté, l'invincible soutien de l'état, l'ennemi déclaré des méchans, lui devant qui tomba terrassée l'audace de Catilina, qui bravait les dieux et épouvantait les mortels? Vous sentez, Pompée, que sa chute seroit l'opprobre non seulement de tous les Romains, mais surtout de ces concitoyens distingués par leur crédit et leur autorité, et qui pourraient le garantir du coup qui le menace; et ce coup serait plus funeste encore pour la république que pour lui.

Hélas! dans ces temps déplorables où les orages les plus terribles ont succédé aux beaux jours de la république, où la licence n'a point de frein, où les forfaits servent de degrés à l'élévation, Cicéron peut être encore long-temps une barrière contre le vice. Au milieu de l'état, c'est une colonne qui peut encore le soutenir. Les méchans le redoutent puisqu'ils veulent le perdre; il n'y a point de traité entre le crime et la vertu. Quel bonheur serait-ce donc pour la républi-

que, si les efforts des mauvais citoyens devenaient inutiles, et si l'état conservait Cicéron ! quelle gloire pour celui qui viendrait à bout d'un si grand dessein ! Je ne suis pas surpris que d'indignes consuls, un Gabinius, un Pison, les plus misérables des mortels trahissent l'état, et abandonnent Cicéron ; ils sont payés par Clodius pour servir sa fureur, et le vil intérêt, cette passion des âmes lâches, a toujours vendu le plus faible au crime du plus fort. Mais vous, Pompée, qui avez mis votre grandeur dans votre amour pour la patrie, vous, lié avec Cicéron par des nœuds que la vertu a formés, verrez-vous d'un œil indifférent le danger de votre ami ? Pompée favorisera-t-il Clodius ? un héros pourra-t-il seconder les efforts d'un scélérat ? le plus grand et le plus vertueux des hommes s'unira-t-il au plus criminel ? Non, Pompée aime encore sa patrie ; la gloire a encore de l'empire sur son âme ; elle en a toujours sur les grands cœurs ; vous ne ternirez pas l'éclat de tant de victoires et de tant de vertus en laissant opprimer votre ami et l'état avec lui. Vous ne laisserez pas le champ libre au furieux Clodius, qui n'est que l'aveugle instrument d'un autre homme qui a de plus grands desseins ; vous vous souviendrez que Cicéron a toujours autant qu'il a pu contribué à votre élévation ; que c'est lui qui a engagé le peuple à vous donner le commandement des flottes contre les pirates, et des armées contre Mithridate. Sans doute votre mérite était digne de ces emplois brillans ; mais du moins Cicéron a levé tous les obstacles que l'envie vous opposait. C'est cette amitié cons-

tante qui doit maintenant parler en sa faveur. Ces âmes vulgaires que le crime ou l'intérêt unit, ne sont pas à l'épreuve des moindres revers; mais ces liaisons fondées sur un amour égal de la vertu, affermies par un zèle commun pour le bien public, ces amitiés des héros doivent croître dans les infortunes et briller dans les dangers. C'est ce que demande de vous l'état alarmé, dont vous êtes l'espérance; c'est ce qu'attend de vous le monde plein de votre gloire; c'est ce qu'exige l'attachement que Cicéron vous a toujours témoigné. Remplissez un devoir si légitime et un si glorieux espoir. Sauvez Cicéron pour lui, pour l'état et pour vous.

CONCOURS DE 1763.

PREMIER PRIX.

ANGELET, Elève du Collége de Montaigu.

Un évêque défend saint Athanase accusé de magie et de meurtre.

JUSQUES à quand ferons-nous retentir l'univers du bruit de nos divisions? Ministres d'un Dieu de paix, jusques à quand nous ferons-nous à nous-mêmes une guerre impie et sacrilége? Ne serons-nous donc jamais unis par les liens de la concorde et de la charité chrétienne? N'aurons-nous jamais la même église? Hélas! dans ces temps malheureux où l'on voit triompher l'erreur et l'esprit de parti, et où les orages qui, s'élevant de toutes parts, éclatent du sein même du sanctuaire, ce n'est qu'avec une secrète confusion que je fais encore entendre ma voix brisée par la douleur; car il n'est plus temps de le dissimuler : le coup qui menace un illustre évêque, en privant l'Église d'un de ses plus zélés défenseurs, sera encore plus funeste

pour elle que pour lui. Mais quel est donc, Ariens, le motif de cette haine implacable qui vous acharne contre Athanase? Qu'a-t-il fait pour l'avoir méritée? Jusqu'ici les tribunaux n'ont retenti que de son nom : toujours accusé, et toujours innocent, il est aussi connu par les crimes qu'on lui impute que par sa vertu; et cette vertu, tant de fois éprouvée, ne peut donc le mettre à l'abri de cette odieuse accusation? On veut qu'il ait souillé ses mains par un meurtre, qu'il ait profané l'auguste caractère dont il est revêtu par des opérations magiques. Athanase un meurtrier! Athanase un magicien! L'esprit de parti vous aveugle, ô Ariens; et, quand on pourrait soupçonner Athanase, l'Écriture-Sainte ne nous défend-elle pas de recevoir témérairement une déposition contre un prêtre? Quelle force cette défense ne doit-elle pas avoir quand il s'agit d'un évêque, et d'un évêque d'une vertu aussi éminente que celle d'Athanase!

Examinez la vie de celui que vous accusez. Les hommes ne se portent pas tout à coup aux grands forfaits, il est des degrés pour le crime comme il en est pour la vertu. Athanase, vieilli sous le joug du Seigneur, Athanase, qui n'a cessé de donner l'exemple de toutes les vertus, et surtout des vertus chrétiennes, dont la piété solide et éclairée ne s'est jamais démentie, persuadé que son ministère était saint, il en a rempli toutes les fonctions d'une manière irréprochable. Je pourrais appeler ici en témoignage tous les habitans d'Alexandrie; tous déposeraient qu'ils ont trouvé en lui non-seulement un bon cœur, mais en-

core un cœur tendre et compatissant ; et l'on ose flétrir sa réputation ! Voyez-vous, Ariens, jusqu'où vous osez vous avancer ? Sentez-vous toute l'absurdité de vos impostures ? Pourquoi recourir à des artifices si lâches, si grossiers ? Accusez ouvertement son zèle constant et intrépide pour la défense de l'Eglise ; voilà ce qui a déchaîné votre haine, voilà ce qui le rend aujourd'hui criminel à vos yeux. Toutefois vous me paraissez avoir peu réfléchi ; car où sont les preuves, où sont les témoins de ce que vous osez avancer ? Il n'existe aucune preuve, on ne produit aucun témoin ; tout ce qu'on sait, ou plutôt tout ce qu'on dit, c'est qu'Arsène est tué. Croyez-vous donc qu'on doive ajouter foi à des accusations dénuées de vraisemblance ? Sans doute, et l'éclat de vos vertus, et l'importance de vos services sont ici les gages de la croyance publique.

Maintenant croyez-vous nous en imposer avec cette main desséchée, que vous dites être celle d'Arsène, et ces larmes feintes qui coulent de vos yeux ? Craignez, Ariens, que je ne devoile au grand jour votre turpitude et votre déshonneur. Eh quoi ! vous pâlissez, perfides ! quelle serait donc votre confusion et votre désespoir, si au moment que je parle, Arsène, Arsène lui-même, se présentait à vos regards ? Eh bien ! le voici, prêt à vous confondre. Athanase, reconnaissez votre libérateur, et vous, Ariens, apprenez qu'il est dans le ciel un Dieu vengeur qui n'abandonne jamais la vertu persécutée ; que cet exemple de justice excite enfin dans vos cœurs un repentir sincère ;

nous sommes tous frères, tous enfans d'un même Dieu. Ah ! je vous en conjure, mettons fin à des dissensions qui le déshonorent, et puisse le pardon qu'Athanase vous accorde en ce jour (j'ose ainsi le présumer de la générosité de son cœur), être un gage assuré de la paix et de l'union qui doivent à jamais régner dans le sein de l'Eglise!

CONCOURS DE 1777.

PREMIER PRIX.

NOËL, Elève du Collége de Louis le Grand.

Un évêque du Concile de Nicée remercie Constantin de la protection qu'il accorde à l'Eglise.

Enfin le grand ouvrage que s'était proposé le saint concile est terminé, la foi est en sûreté, les entreprises d'un subtil novateur tournent à sa honte, la religion est triomphante, et l'impiété enchaînée frémit de rage. Reconnaissons ici le doigt de l'être suprême toujours attentif à l'accroissement de sa sainte religion. C'est à ce Dieu bienfaisant, et après lui à l'empereur, qu'il faut rendre grâce de ce bonheur inespéré. C'est Dieu qui est le premier auteur de tous les biens; c'est Constantin qui est le digne ministre de ses desseins éternels. O vous respectables pasteurs, la gloire de l'épiscopat et les lumières de ce concile, joignez-vous à moi; que vos bouches éloquentes soutiennent le faible interprète de vos sentimens, et tous ensemble rendons grâces au plus religieux de tous les princes, moins éclatant en-

core par sa pourpre que par ses vertus. Que votre modestie, grand prince, nous pardonne de retracer le tableau de vos bienfaits ; que votre bonté daigne accepter ce faible hommage de notre reconnaissance.

L'église gémissante osait à peine faire monter vers son époux les cris de sa douleur, et dans l'obscurité des plus sombres retraites, elle n'offrait qu'en tremblant le divin sacrifice. Constantin monte sur ce trône, et y fait monter avec lui la justice et l'humanité ! Bientôt un édit solennel permet l'exercice du christianisme, la décence et la majesté du culte. Les ministres des autels annoncent sans péril, un Dieu crucifié ; des cantiques de joie font retentir les voûtes sacrées des temples. L'étendard de la croix, arboré sur le Capitole, succède à de viles représentations d'animaux. Rome, la capitale du monde idolâtre, devient le centre de la religion, et l'univers est étonné de se trouver chrétien. Qui l'eût osé espérer il y a quelques années? Rappelez-vous ces temps funestes où les bûchers, les échafauds, les tortures, les lames ardentes, les roues armées de fers aigus et tranchans, la dent meurtrière des monstres des bois, étaient employés contre les adorateurs de Jésus-Christ ; paraissez illustres confesseurs que mes yeux découvrent dans cette auguste assemblée, vous qui avez à peine échappé aux fureurs des tyrans, et qui portez encore les glorieuses marques de votre attachement à la foi, vous pourrez vous montrer sans crainte ; le temps des épreuves est passé, et la rage des démons est impuissante. Constantin, devenu lui-même la conquête de la croix, a rendu le calme à l'é-

glise. Déjà, par ses ordres, tombent de toutes parts ces divinités sourdes et muettes, vains objets du culte des nations. Leurs demeures superbes où brillait l'or et l'argent, n'offriront plus que de vastes débris, triste séjour des oiseaux sinistres. Sur leurs ruines je vois s'élever les temples du Dieu vivant, le fidèle troupeau s'y rassemble sans alarmes, on y offre la victime non-sanglante, et Jésus-Christ n'est plus obligé de chercher d'autres voiles que ceux dont il se couvre sur nos autels. Mais c'était peu d'avoir fait triompher la religion des faux dieux du paganisme, de l'avoir placée sur le trône des Césars, d'avoir soumis à la croix le diadême et la pourpre impériale, il fallait encore prendre de sages mesures pour que la foi, après être sortie victorieuse de tant de combats, ne pût s'altérer au sein de la paix, ni voir ternir sa pureté par le souffle impur de l'hérésie. C'est ce que vous avez fait, grand prince; persuadé que l'empire de la terre doit servir l'empire du ciel, voilà l'important ouvrage que vous venez de consommer avec tant de zèle et d'éclat. Oui, seigneur, Dieu qui tire quand il lui plaît des âmes privilégiées des trésors de sa misésicorde, vous avait prédestiné à opérer cette grande révolution dans l'univers. Dès le commencement des siècles il vous avait oint de l'huile sainte, marqué du sceau de sa grandeur et nommé comme un autre Cyrus; mais bien différent de ce prince, ministre aveugle des volontés d'un dieu qu'il ne connaissait pas, vous avez été appelé, non comme lui à détrôner des rois, à briser des sceptres, mais à protéger la religion, mais à faire pour Jésus-Christ de

bien plus nobles conquêtes : c'est dans cette vue que sa main traça dans le ciel cette croix miraculeuse, gage assuré de la victoire que vous alliez remporter. Cette divine apparition devait vous faire passer des ténèbres de l'idolâtrie à la lumière de la foi, et Dieu, qui ébranle le ciel et la terre, pour enfanter un élu, voulut faire un miracle éclatant pour arracher le bandeau fatal qui couvrait vos yeux.

Prince chéri du ciel, levez les yeux vers votre céleste patrie, voyez la couronne d'immortalité qu'on vous y prépare, et les torrens de délices dont Dieu enivre ses saints. Puisse, en attendant cette félicité, votre règne être toujours florissant et paisible ! Vous rendez heureux les peuples soumis à vos lois, et ils vous aiment en bénissant votre nom. Vous préparez le bonheur des générations futures, et votre mémoire vivra dans tous les âges. La postérité, au tribunal de laquelle les plus grands rois viennent sans pompe et sans suite subir un jugement sévère, n'aura pas assez de voix pour célébrer vos vertus, et vous proposera pour modèle à tous les souverains qui viendront après vous.

CONCOURS DE 1806.

PREMIER PRIX.

C. E. NAU DE CHAMPLOUIS, Elève du Lycée Napoléon.

(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

INSTITUTION RUINET.

Le gouverneur de Châteauneuf de Randon près du lit de mort de Duguesclin.

QUEL spectacle de deuil et de désolation dans un camp victorieux! Pourquoi ce silence morne et lugubre qui n'est interrompu que par les expressions de la douleur et du désespoir? Pourquoi ces armes renversées, ces trophées couverts d'un voile funèbre, ces visages guerriers dont les glorieuses cicatrices sont sillonnées par des pleurs? Duguesclin, le grand Duguesclin vient d'expirer, et avec lui, semblent anéanties la valeur, l'intrépidité des Français. Ses principaux officiers plongés dans une profonde consternation, muets, immobiles, attachent des yeux baignés de larmes sur

Romains, vous n'avez pas oublié dans quelles fatales circonstances Pertinax monta sur le trône, et les vices de ses prédécesseurs donnèrent encore plus de poids à ses grandes qualités. Ils sont présens à votre souvenir ces tyrans qui, pour commettre le crime, n'avaient qu'à vouloir et voulaient toujours. Vous ne vous rappelez que trop l'exil et le supplice de tant de grands hommes; et les cris des Carus Métius, et la voix vénale de ces Messalinus qui trouvaient des crimes à l'innocence elle-même, retentissent encore à vos oreilles. Vous voyez encore les prisons peuplées de sénateurs, la hache lassée d'assassinats juridiques, le forum inondé de sang, le sénat tremblant tout entier sous le glaive de Commode, et les grandes vertus proscrites bien plus que les grands crimes. Vous voyez un Helvidius condamné, traîné dans un cachot, mis à mort avec un Sénécion, en qui Domitien voulut frapper la vertu elle-même. Mais les dieux prennent enfin pitié de nous : Pertinax s'asseoit sur le trône, et l'empire croit avoir retrouvé Marc-Aurèle. Les lois que les hommes puissans méprisaient, parce qu'ils les violaient sans péril, et que les citoyens avaient cessé de respecter, parce qu'elles avaient cessé d'être une sauve-garde contre la violence et la tyrannie, reprennent leur antique autorité; la délation est regardée comme un

crime, et l'on peut être encore innocent malgré sa renommée; enfin, on voit renaître ces temps, trop rares pour le bonheur du monde, où, libre de penser, on est libre de proclamer ce que l'on pense, et Pertinax réunit deux choses jadis incompatibles : la liberté de l'empire, et la toute-puissance de l'empereur.

Romains! vous souvenez-vous avec quelle joie vous vîtes alors le sénat dégradé par une si longue servitude se relever de sa honte, et reprendre son antique splendeur? On eût dit que Rome allait renaître de ses cendres, avec toute sa gloire et toutes ses vertus; et l'indépendance publique fleurissait à l'ombre du sceptre de Pertinax. Déjà nous étions respectés chez les nations barbares, et ces peuples sauvages, qui s'indignaient de voir la civilisation à côté de la barbarie, et s'élançaient de toutes parts sur l'empire éternel, apprenaient à respecter un empereur qui ne savait point payer les ennemis, mais qui savait les vaincre. Loin d'ici l'exemple des princes timides qui, prodiguant les trésors de la république pour acheter l'onéreuse alliance des nations lointaines, et, qui, étalant à la fois leur lâcheté et la faiblesse de Rome, obtiennent à prix d'or une sûreté précaire. Tu savais trop, sage Pertinax, que l'infamie ne rétablit jamais un empire, et qu'en achetant la paix on engage l'ennemi à la vendre encore. Aussi, déterminé à t'ensevelir sous les ruines de Rome, plutôt que de déshonorer le nom romain, tu parlas en maître aux nations étonnées; et l'univers apprit qu'un homme

s'était rencontré sur le trône, assez courageux pour entreprendre de rétablir la puissance romaine.

Hélas! depuis trois mois il travaillait à ce noble ouvrage; et l'empire, retrouvant à la fois sa gloire et sa liberté, semblait être revenu aux jours de sa grandeur : déjà nous cessions de pleurer sur nos longues infortunes, et voilà que nous avons à pleurer l'auteur de notre prospérité! O jour affreux! jour déplorable! jour qui fut presque le dernier de la ville éternelle! Des soldats romains, foulant aux pieds les lois sacrées de la discipline et la majesté de l'empire, s'élancent en armes au milieu du Forum, et, comme s'ils allaient précipiter du trône le tyran de la Perse ou de l'Arménie, ils courent égorger un empereur romain au sein de Rome même. Rien ne peut arrêter leur fureur parricide, ni l'aspect des temples sacrés, ni la vue du Capitole, ni la douleur du sénat, ni les larmes de la ville entière; ils courent, ils s'empressent au crime, ils assassinent leur prince à la face des autels terribles de Jupiter vengeur. O Pertinax! tu avais mérité par ta justice la haine de ces lâches soldats. Habitués à chérir les vices des princes, autant qu'ils respectaient autrefois leurs vertus, ils ont regretté, sous ton règne, ces Domitien, ces Commode, toujours prêts à sacrifier à l'avarice des satellites le patrimoine et l'existence des citoyens. Ils ont senti que tu ne te croyais pas empereur pour obéir, pour acheter à force de complaisance et de bassesses l'insolente soumission de tes soldats; ils ont senti que tu ne croyais pas régner pour faire ré-

gner leurs caprices; et ces lâches qui ne savent plus que fuir devant l'ennemi, ont retrouvé du courage pour assassiner leur général. Mais c'était encore trop peu : ils ont mis publiquement l'empire à l'enchère, et on a vu un Didius Julianus, un homme inhabile à porter l'épée dans les combats, et dont la main débile ne s'est jamais armée que d'une coupe dans les festins, déshonorer le trône de Marc-Aurèle et marchander le sceptre du monde. On a vu des soldats romains se faire payer des millions de sesterces, pour avoir donné à l'empire un empereur qui réunissait tous les vices de Sylla et de Marius, sans avoir une seule de leurs vertus.

Romains, il n'y a plus de légions prétoriennes; j'ai puni l'insolence de ces soldats parjures qui, après avoir égorgé Pertinax, après avoir trafiqué de ses dépouilles avec Julianus, après avoir massacré l'empereur qu'ils s'étaient donné eux-mêmes, voulaient encore me vendre leur fidélité; et vengeant le prince que nous pleurons, j'ai assuré le repos de la ville éternelle. Les voilà les étendards que portaient ces infidèles gardiens des empereurs : les nôtres sont moins dorés, moins magnifiques; les nôtres sont noircis de sang, souillés de poussière, mais brillans de gloire et de souvenirs. Relégués loin des champs de bataille, ces drapeaux conduisaient les soldats révoltés au meurtre, au parricide, pendant que les aigles de Sévère conduisaient les Romains au combat et à la victoire. Romains, les voilà les étendards que portaient les légions prétoriennes quand, étalant à l'ombre des armures un faible cou-

rage, elles réunirent leurs efforts pour assassiner un vieillard sans défense. O Pertinax, toi qui couronnas une vie si belle par une mort si courageuse, toi qui apparus trois mois sur le trône et qui en trois mois méritas une gloire immortelle, je dépose sur ta tombe les étendards de tes assassins, et je jure d'imiter celui qui imita Marc-Aurèle. Oui, j'accomplirai l'ouvrage que tu as commencé, oui je rendrai à Rome sa grandeur et sa gloire, et j'apprendrai aux barbares qui, enhardis par ta mort, osent de nouveau menacer nos frontières, que si les empereurs peuvent mourir, l'empire est éternel.

FIN DES DISCOURS FRANÇAIS.

TROISIÈME PARTIE.

POÉSIE LATINE.

CONCOURS DE 1765.

PREMIER PRIX.

SIMON, Elève du Collége du Plessis.

L'Heureuse Médiocrité.

Quid juvat injusto Superos incendere questu,
Æternùmque animo vanos haurire dolores,
O quicunque brevem parvo sub tegmine vitam
Carpis, et exerces plebeiam inglorius artem;
Atque gravì durans membra indefessa labore,
Sustentas humilemque domum, tenerosque nepotes?
Ah! tibi, quæ faciles oculos premit invida nubes
Si Deus eripiens, puram det cernere lucem,
Jàm non mendaci deceptus imagine rerum,
Mollibus invideas fallacia gaudia Crassis.
Hîc ubi vasta, ingens, celsisque innixa columnis
Stat domus, et variâ nitidi testudine postes
Sole lacessiti radiant, longèque refulgent,
Aurea mordaces volitant laquearia circum,
Atque in regali dominantur limine curæ:

Nec valet armatus diras expellere pestes,
Nec domino lictor profugos arcessere somnos.
Quà surgunt mensæ, et multo convivia luxu
Ambitiosa parat vesana superbia regum,
Immensasque ostentat opes atque explicat aurum,
Dùm varias conviva dapes omnemque ciborum
Admirans inhiat pompam, fera tædia, luctus
Improvisi adsunt, juxtàque accumbere gaudent.
Increpitat risus, fugat agmina blanda jocorum
Imperiosa cohors, totâque vagatur in aulâ.
Quin etiam lances infidaque pocula diros
Sæpiùs occultant, metuenda examina, morbos;
Illi paulatìm serpunt, tacitoque veneno
Omnia corripiunt. Avido vorat inscius ore
Carnifices epulas conviva, scyphisque latentem
Haurit in auratis et gemmâ divite mortem.
Parte aliâ recubans per flores mollis odoros,
Leniter invitat vultu arridente voluptas,
Illecebrisque animos trahit insidiosa : sed inter
Oscula, nectareo præsens sub melle venenum
Inspirat; miseros sensìm depascitur artus;
Ebriaque incendit victrix præcordia pestis.
Aspice, squalenti sese fert aurea cultu
Forma viri, atque incedit anhelis passibus; ægra
Lumina, deformesque genæ, pallentiaque ora,
Ora immaturis quæ sulcat noxia rugis
Mollities, premit ante diem canosque senectus.

CONCOURS DE 1774.

PREMIER PRIX.

DUANY, Elève du Collége du Plessis.

Le Cerf-Volant.

O spes musarum, dilectaque cura, juventus,
Disce quid interdùm doceant res prorsùs inanes;
Atque animos, inter lusus, assuesce viriles
Paulatìm et sanos meditando sumere sensus.
  Cernis ut aerios petat ardua machina tractus :
Scilicet hæc lento compacta è vimine primùm,
Deindè super tenui leviter vestita papyro,
Remigio sese librans, et fune revincta
Prælongo, objicitur ventis rapienda per auras;
Illa diù paribus nequicquàm nititur alis,
Indigaque auxilii primùm molimine tardo
Assurgit : sed mox rapidis impulsa per auras
Flatibus, audaci se tollit ad astra volatu.
Dùm loquor, en venti subitò posuêre, vacillat
Machina, subsidiisque suis oppressa fatiscit,

Labenti similis, nunc hanc, nunc certat in illam
Ambiguo casu partem, frustràque reluctans,
Diffusis tandem media inter nubila pennis,
Concidit, et lapsu turbam deludit hiantem.

Hinc casus prænosce tuos, quicunque superbis!
Ex humili magnus, summa ad fastigia rerum
Fortunæ infido flatu regumque favore
Instabili eveheris; simulatâ fronte malignus
Dùm sua adulator mendaci gaudia plausu
Testatur, dùm te miraris credulus ipse,
Si sapis, ah caveas! ingentem sæpè procellam
Tranquilli facies cœli minitatur, et atrum
Naufragium nautis ponti pax ipsa quieti
Portendit. Cave ne, prolapsus culmine honorum,
Præcipiti casu jaceas, heu! conscia magnæ
Victima fortunæ, et ridentis fabula vulgi.

CONCOURS DE 1775.

PREMIER PRIX.

LESCALLIER, Elève du Collége du Plessis.

Eloge de la Justice.

VIRTUTUM præses, summi sata mente Tonantis,
O Dea! cœlicolis sibi quam magis omnibus unam
Elegit pater omnipotens assistere dextræ
Noctes atque dies, æternaque jura tueri,
Divinas æquo librantem examine lances;
Quis digno celebrare queat tua munera versu!
Tu mortale genus, patrias ubi linquere terras
Lux melior victumque simul mutare ferocem
Suasit, in unanimas coalescere gentes
Jussisti, et positis moliri publica bellis
Oppida, queis, placidæ diuturna per otia pacis,
Fortunatum agerent tutis sub legibus ævum.
O felix nimiùm à teneris quemcunque docendum
Unguibus, et sacras formandum sumis ad artes,
O Dea! præsertìm populis si quandò regendis
Impositus, tua jura colet, regumque magistram

Assumens, solii te secum in parte locabit.
Non illum insanis vincendi sacra cupido
Impellet stimulis, ut per bella, horrida bella,
Victor, et humano rorantes sanguine lauros,
Per stragem et cædes populorum, extendat avitos
Regnorum fines, curru rediturus ovanti
Scilicet, et plausus inter lacrymasque daturus
Civibus exhaustis vanæ spectacula pompæ.
Nec miseras cumulabit opes quas, prodigus idem
Prædatorque simul, stolidè vexetque trahatque,
Grandibus impendens nugis umbræque nitenti.

Longè alia est rerum facies; quod sidus amœnum,
Quam fortunatam spondet tibi Gallia lucem!
Ecce tibi regnat Titus, et Saturnia surgunt
Regna; vigent, semperque illo sub rege vigebunt
Relligio et mores; sunt et sua præmia laudi,
Sunt sceleri pœnæ; pleno se prodiga cornu
Copia diffundit, fecundis frugibus arva
Agricolam ditant avidum, seges horrea vincit.
Solus per sylvas, per inhospita rura viator
Tutum carpit iter. Tibi amor, Lodoice, tuorum
Excubias præbet, regalia limina circum
Non gladii sed corda micant; pax aurea floret,
Florent inventæ decorandis urbibus artes.
Quis non tranquillos gaudet traducere soles
Membra sub arbusto positus, felixque benignum
Concelebrat, qui tuta sibi facit otia, regem?

CONCOURS DE 1781.

PREMIER PRIX.

HUBERT, Élève du Collége du Plessis.

Mort du chevalier d'Assas.

INGENTES Deciorum animæ, generosá virorum
Progenies, tu, Codre, salusque decusque tuorum,
Et tu propositæ contemptor, Regule, mortis,
Debita virtuti retulistis præmia laudum:
Nomina ad extremos transmisit vestra nepotes
Gloria, et æternam tribuit per sæcula famam.
Ecce parem vestræ feliciter æmula laudem
Obtinet, ac simili contendit Gallia facto.
Bellorum horrendo Germania tota tumultu
Concita dùm fervet, dùm laudem sanguine quærunt,
Et procùl à patriâ miscent certamina Galli,
Ecce Borussa phalanx invadere Gallica noctu
Castra parat, tacitoque subit per devia gressu.
Silva fuit, locus insidiis et fraude viarum
Plenus, ubi variâ poterant ambage dolosum
Ire iter, et cæco custodes fallere cursu.

Illinc et latebris et dono noctis opacæ
Defensi subeunt; totâ regione siletur.
At non intereà Gallorum castra quiescunt.
Mittitur in silvam legio, quam ducit euntem
Fortis eques, fatis dignus melioribus, Assas.
Dùm præit ipse suis, aufractusque anxius omnes
Explorat per se, nulli confisus, et hæret
Cuncta tuens, (quantùm sub opacâ nocte tueri
Cuncta licet) mutasque oculis interrogat umbras;
Protinùs è latebris ruit improvisa, necemque
Intentans, strictisque virum mucronibus urget
Circumfusa phalanx, et in ictum arrecta, minatur:
Si dederit signum, motuque aut voce suorum
Appellârit opem. Præsentis imagine lethi,
Ut Gallum decuit, nequicquàm territus heros:
« O comites, Arverna phalanx, accurrite, dixit,
Hostis adest; » mora nulla, cadit. Generósa feroces
Pectora confodiunt, et telis mille trucidant.

Sic periit tristi, patriæ data victima, letho;
At sibi commissam servavit morte cohortem;
At tibi jam certas avertit, Gallia, clades,
Funere nobilior, quàm si certamine victor
Insequeretur agens, aut captos duceret hostes;
Vel curru invectus, turbâ comitante, per urbes
Submissas intraret ovans: mors namque triumphus!

CONCOURS DE 1782.

PREMIER PRIX.

HUBERT, Elève du Collége du Plessis.

Mort du capitaine Cook.

Te placidum heroem, te magnæ gentis honores,
Te decus Europæ, populorum nuper amorem,
Nunc desiderium, funebri carmine virtus
Concelebrat, longoque memor te consecrat ævo.
 Dùm conjuratas latè discordia gentes
Dira in bella ciens, tædis ardentibus unum
Tangere te metuit; posito dùm fulmine Mavors
Ipse tuis manibus neptunia sceptra remittit,
Atque procellosum tibi soli temperat æquor:
Indulgere tibi nescit mors una; vereri
Virtutem nescit cæcum, implacabile numen!
 Gentibus ecce feris sociæ commercia vitæ
Ignotasque affers Europæ è finibus artes;
Alter et Amphion mollire ferocia tentas
Pectora, et ad faciles paulatìm adducere mores,
Barbariæ victor, mox victima! namque recurrens

Naturæ feritas atroci in corde timores
Incutit injustos, populumque immanè frementem
Sumere sacrilegas insonti à sanguine pœnas
Irrequieta jubet. Sic nobilis occidit heros :
Occidit, externâque jacet projectus arenâ.

Ergò cadis, Gallosque dolor communis et Anglos
Consociat, civemque orbis sibi luget ademptum.
Quid te bis gelidum velis audacibus axem,
Quid sole incensam, per mille pericula, zonam,
Lustravisse juvat, populis non sæva ferentem
Vincula, sed placidæ felicia munera pacis ?

CONCOURS DE 1788.

PREMIER PRIX.

POTTIER, Elève du Collége de Louis le Grand.

La Chasse de la Perdrix.

Quò tendis ferro armatus plumboque minaci,
Impie venator? studiis immitibus actum
Quis te cædis amor nemorum per inhospita raptat?
Agrestes inter dumos, tacitosque recessus
Perdicum latitant, heu! turba innoxia, pulli,
Quos genitorque simul studiosaque mater amico
Pennarum hospitio exceptos, gremioque tepenti,
Pignora cara fovent curis communibus ambo.
Ah! ne sustineas sævo turbare tumultu
Tàm dulce officium, necdùm matura paventes
Indigaque auxilii natorum protegat ætas.
Dùm loquor, ecce canis jàm notos hausit odores,
Nare sagax; mora nulla, citò ruit impete præceps,
Latratuque fero et trepidâ formidine latè
Miscet agens cœtumque omnem parvosque penates.

Infelix quid agat genitor? quibus audeat armis
Instanti letho teneros subducere natos?
Olli habiles natura negat malè provida vires;
Unus adest benesuadus amor pro viribus ipsis,
Atque pias patrio sub pectore suggerit artes.
Se simulat claudum, et demissâ tardior alâ
Incedens, certo prudens tamen intervallo,
Difficilem titubante fugam pede carpit, et hostem
Exsultantem animis prædæ propioris amore
Invitat, simul instantem spe ludit inani.
Intereà trepidos mater, sua gaudia, natos
Cauta, per aversos calles tacito agmine raptìm
Abductos, latebris credit melioribus; omnis
Antevolare ducem certat gens æmula matrem,
Alarumque audax jàm prima pericula tentans,
Remigibus properat pennis, humilique volatu,
Jàm proles secura, pater ni dulcis abesset.
At postquàm ille diù longâque ambage viarum
Jàm defessum hostem defessus et ipse per agros
Protraxit, subitò sese plaudentibus alis
Sustulit, et celeri victor secat aera cursu;
Deceptumque canem vacuo ore relinquit hiantem,
Spectantemque oculo frustrà per inane sequaci.
Multiplici pater ipse viam memor implicat orbe,
Seque suis reducem sociumque optantibus addit,
Et tandem, hoste procùl, positâ formidine, læti
Alterno indulgent secura per otia amori.

CONCOURS DE 1806.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

ETIENNE, Elève du Lycée Napoléon.
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

L'ombre de Didon sur les ruines de Carthage.

QUÆ me dicta horrenda cient? Plutonia regna
Quæ mihi vis aperit, Stygiasque relinquere fauces
Invisasque adigit remeare ad luminis auras?
Heu! quæ me tellus miseram, quod flebile littus
Accipit? Anne oculi falluntur imagine vanâ?
Agnosco Lybiam, et campos ubi, littus avarum
Effugiens, taurinâ inclusi mœnia pelle,
Invenique alio patriam sub sole jacentem.
O quàm se facies offert diversa locorum!
Hìc urbem validâ cingebant mœnia mole:
Illìc surgebant munitæ turribusarces,
Saxorumque minæ ingentes; hìc longa patebant

Atria, marmoreis ter centum nixa columnis:
Illìc conveniens lætæ ad spectacula pompæ
Turba virûm undabat vastis effusa theatris.
Haud procùl à pelago sanctum malè provida templum
Reginæ statui Divûm, gentemque dicavi,
Et non auditis incendi altaria votis.
Heu! Carthago fuit! sceleratis ignibus urbem
Diruit, et latè volvens incendia victor,
Mactavit miseros immenso funere cives.
Et nunc fumat adhuc Pœnorum sanguine tellus;
Undiquè disjectas moles, desertaque saxa
Circumspecto.... jacet celebris deforme cadaver
Urbis, et augustas tellus invisa ruinas
Condere festinat, clarumque exstinguere nomen.
Jàm non attollunt audacia culmina turres:
Mœnia procubuêre... feræ per templa vagantur,
Impuroque Deûm fœdant altaria passu.
Sed non Carthago jacet omnis: fama superstes
Stabit, et antiquæ semper Carthaginis umbra.

PREMIER PRIX DES NOUVEAUX.

Jos.-Vict. LECLERC, Elève du Lycée Napoléon,
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

Même sujet.

Tartareis procùl à regnis educta nefando
Carmine, et ex umbris cœli revocata sub auras,
Quos video campos, aut quæ deserta pererro?
Heu! te quæ tellus et inhospita littora, Dido,
Accepêre? Nisi falluntur lumina, notus
Hic locus; et steriles Libyæ sitientis arenas
Aspicio. Huc olim fratrem, sortemque Sychæi
Deveni fugiens, Tyriâque extorris ab urbe,
Taurino cinxi Byrsæ nova mœnia tergo.
Præteriit fortuna brevis; sed prospera vitæ
Commemorare juvat, faustumque reducere tempus.
Hei mihi! Carthago, quò pristina gloria cessit?
Quàm facies diversa loci! Carthaginis umbra
Vix superest. Hìc Sidoniæ tutamina gentis,
Murorum moles, et fundamenta, minæque
Ingentes stabant; hìc propugnacula firmo

Aggere, et immensis fuerant circumdata vallis;
Hìc assurgebant abruptis rupibus arces;
Illìc regali præclara palatia luxu;
Illìc magnificis splendebat fulta columnis,
Et læto strepitu resonabat scena theatri.
Hanc propè spumantem, quam nunc mare contegit, oram,
Templum Junoni, venerandum numine divæ,
Condideram. Memori nunc omnia mente recurrunt;
Ante oculos mea regna sedent; castellaque cerno,
Et nemora, et saltus. Hìc, dùm fortuna maneret,
Hìc meus Æneas.... sed cur ingrata revolvo,
Et placet exstinctos frustrà renovare dolores?
Infelix Dido, solitus te decipit error :
Jàm dudùm periit, quem nunc reminisceris, heros;
Jàm dudùm infestis ceciderunt ignibus urbis
Ornamenta tuæ, et nunquàm rediviva resurgent!
Nunc ubi templa Deûm, splendor, suprema potestas?
Nunc ubi priscus honos? Heu! quid nisi vana supersunt
Rudera? Carthago fuit : occidit, occidit omnis
Gloria Pœnorum; jacet, æternùmque jacebit
Urbs mea : fata jubent. Jàm non ferit æthera celso
Vertice, et imperio Libyæ sceptroque superbit;
Jàm non procerum caput inter nubila turres
Extollunt; sternuntur humi, magnique precantur
Nominis ultores. Superûm tamen inter et aras
Et delubra, feræ audaces impunè vagantur,
Impiaque insultant sacris armenta sepulcris.

CONCOURS DE 1807.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

C. E. NAU DE CHAMPLOUIS, Elève du Lycée Napoléon.

(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

Le Tombeau du maréchal de Saxe.

Grandia quis, mixto luctu, spectacula pandit
Æterni tumulus monimentum insigne doloris?
Cur tropæa tegit solemnia tristis amictus?
Scilicet, ut vivo quondàm, post funera justos
Sic Fonteniaco jàm nunc persolvit honores
Gallia victori, gratesque ingentibus ipsas
Æquavit meritis. Magni miranda sepulchri
Stat moles, sumptu regali exstructa, supremum
Artis opus, summo dignum duce, regis amici,
Munificæ et gentis præclaro nomine dignum.

Conspicuum properant monumentum visere cuncti
Undiquè, et attoniti fixis obtutibus hærent,

An labor et tanti facies pulcherrima doni,
Famave et egregii ducis indelebilis ævo
Gloria, majori percellat pectora sensu.
Civis qui propiùs sævi discrimina belli
Et miseras clades, multâ cum parte pericli,
Aspicit, ingentem exsultans ad sidera tollit
Gratâ mente virum, duce quo teterrima pestis
Finibus à nostris expulsa recessit ad hostes :
« Hic vir, hic est, memorat, qui morbi ac mortis in ipso
« Penè sinu, innumeras invicto Marte phalanges
« Fudit, queis illos infesta Britannia campos
« Straverat, et genti exitium cædemque vehebat.
« Quot palmas victor retulit! quot templa, tropæis
« Clara suis, nomen servant famamque perennem!
« Ac laus Mauricio major, qui pacis honestæ
« Læta coronavit victrici fœdera lauro. »
Exterus ardenti studio plausuque potentem
Mirari populum, memoremque extollere gentem,
Cujus apud cives, meritorum et præmia laudis
Externosque suosque manent, et gratia facti
Est super heroi ad seros ventura nepotes.
Ac mœrore pio miles cultuque recentis
Stat mausolei tristes veneratus honores,
Et summum carumque ducem desiderat, olim
Auspice quo tantus sese patriamque per arma
Nobilitavit honos, et Francis gloria venit.
Intereà ecce duo ex illis, cujusque phalanges
Qui primas servant acies, atque ordine firmo
Tutantur socios, dejecto lumine, templum

Ingrediuntur, ubi, gelido sub marmore, magni,
Nobile Mauricii corpus jacet : ambo silentes,
Mœsti, atque insolitis humentes fletibus ora.
Attoniti fundunt lacrymas; qui nempè cruentos
Bellorum horrores, stagnantes sanguine campos,
Et multam variâ errantem sub imagine mortem
Impavidis spectant oculis, propè marmora lugent
Flentes, atque ducis crudelia fata queruntur.
Unus tùm gladium stringit, propiùsque sepulcro
Applicat; ipse comes subit æmulus; ambo recedunt
Indè pares, tacitâ defixi mente, diùque
Inter se non aspiciunt, non ora resolvunt.
Quæ vobis igitur pariter sententia surgit?
Cur eadem studio simili fecistis, et ambo
Plurima secreto sub pectore volvitis unâ?
Nempè rati, (nec vos porrò spes lusit inanis)
Huic lapidi, qui magnanimi contingeret altos
Mauricii cineres, veluti magnetis inesse
Vim, quâ militibus nunquàm superabile robur
Funditur, heroumque venit fortissima virtus.

DEUXIÈME PRIX DES VÉTÉRANS.

Jos.-Vict. LECLERC, Elève du Lycée Napoléon,

(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

Même sujet.

Ut priùs, augustum victor quum degeret ævum,
Sic Fonteniaco magnæ post inclyta mortis
Fata duci, meritos certatim Gallus honores
Solverat, æternæ certissima pignora laudis.
Ingens, artis opus mirum, sublimis ad auras
Stabat magnifici moles veneranda sepulcri,
Summo digna viro, præclaris regis amici
Digna opibus, digna et generosæ munere gentis.
  Eximiâ acciti famâ regisque ducisque,
Visendi studio, monumentum ad nobile cuncti
Approperant, oculis mirantur tanta silentes
Attonitis, dubiique incertis mentibus hærent,
Egregiusne labor præstet, tumulive superbi
Ardua majestas, an talia clarior heros
Munera virtute, atque illustri nomine vincat.
  Civis adhuc miseri propiora pericula belli

Respiciens, et vix ægrâ formidine liber,
Gratus ad astra virum gaudenti pectore tollit
Ingentem, qui mœsta diù discrimina Martis
Ac tetram arcuerat Gallorum à limine pestem;
Illum, qui tantas acies, tot fortia vertit
Agmina, quo siluit vincente Britannica tellus;
Illum, qui nuper lethi minitantis in ipso
Languens penè sinu, impavidus per tela, per hostes
Adfuit, atque ipsâ victor sub morte, phalanges
Anglorum attonitas audito nomine fudit.
Omnes certatim palmas, omnesque triumphos
Læti commemorant, ac miti pacis olivæ
Tandem intermixtas jucundo fœdere lauros.
At subitò lethi miseranda occurrit imago,
Atque hilares oculos inter pia lacryma lucet.

Ardenti studio, felicique advena plausu
Exsultans, animo populum miratur amico,
Qui justam pariter laudem externisque suisque
Justaque magnanimus meritorum præmia solvat;
Munificam celebrat gentem, quæ, sedula mater,
Conspicuos virtute viros ac fortibus ausis
Excipiat gremio cives foveatque benigno,
Seque illis patriam nullo discrimine dicat.

Invictum carumque ducem desiderat æger,
Illacrymans, bustum veneratus flebile miles,
Atque virum longo frustrà mœrore reposcit,
Auspice quo fuerat tantum sibi adeptus honorem
Et patriæ, totque extulerat, domito hoste, tropæa.

Ecce duo ex illis qui certant ordine primo

Militibus, pugnamque et prælia prima repellunt,
Templum, Mauricii caris venerabile templum
Relliquiis, intrant : tristis, gemebundus uterque
Insolitos fundens fletus silet. Undiquè sola
Fani prospectant latè penetralia; mœsti.
Accedunt; ingens tandem petière sepulcrum.
Marmor uterque rigat lacrymis immotus, et alter
(Et simul ardenti virtus micat ignea vultu)
Funerea eductum monumenti ad marmora ferrum
Applicat : ipse suum apponit comes æmulus. Ambo
Deindè recedentes secreto multa revolvunt
Corde, diùque tenent hærentia lumina terræ;
Ulla nec alternis inter se verba serentes,
Castra petunt. Horum victoria debita ferro!

Nempè, nec immeritò, magnetica saxa putârunt,
Quæ quum tot bellis tetigissent nobile corpus
Mauricii, sacrum et cinerem, mavortiaque ossa,
Militibus possent heroum infundere robur.
Ergò licèt jaceas, ô vir generose, sepulcro,
Ecce tua, ecce novos nobis parit umbra triumphos!

CONCOURS DE 1809.

PREMIER PRIX.

BLONDEL, Elève du Lycée Napoléon,
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

INSTITUTION PARMENTIER.

Montesquieu et le jeune Robert.

MASSILIÆ, quò nempè (velut quandòque solebat)
Venerat ad caræ notissima tecta sororis,
Fortè Secundatus portum peragrabat, et omnem
Lustrabat venerans miranti lumine pontum.
Ecce videt vacuam vacuo cum remige cymbam:
Ingreditur; juvat ire viam, portuque relicto
Opportuna brevem tentare per æquora cursum.
Assumit remum juvenis quem frontis honestæ
Dulcis honos, vestisque decens, sonitusque modestæ
Vocis, inassuetum produnt remisque marique.

Miratur primùm tacitus, causasque requirit;
At dùm pergit iter, fugiunt dùm littora, nautæ
Significat sibi non mores, non ora videri.
Non negat ille quidem, sed spontè volensque fatetur,
(Quid timuisset enim recti mens conscia ?) festæ
Quotquot ibi revehunt ludos ac otia luces,
Talibus in ludis solidum se condere solem,
Exiguum si fortè queat decerpere lucrum.
Vel minimam vitii speciem vir nobilis horret :
Turpis avaritiæ lucrique cupidine captum
(Credit enim) juvenem, magno virtutis amore
Odit, et iratus verbis incusat amaris.
Haud passus juvenis, tali se crimine, tali
Suspicione levat, lacrymisque ingressus obortis,
Narrat ut indigno vinclorum pondere pressus,
Ereptus patriæ pater amplexuque suorum
Vitam infelicem Ottomanis trahat exul in oris.
Adjicit hâc unâ grandem se condere summam
Posse viâ, ut natos pater, uxoremque maritus
Optato tandem reditu liberque revisat....
Hæc audivit ubi, vix sese continet, alto
Lætitiæ tacitos reprimit sub pectore sensus,
Multa super natis rogitans, super exule multa,
Vicinisque pium ripis appellere nautam
Imperat. Ut littus tetigit ratis, ille crumenam
Attonito juveni multo plenam ære reliquit,
Corripuitque gradum; nam virtus candida mentis

Ingenuæ laudes timet, ac sibi sufficit ipsa.
Nec satis est : sexto vix luna recreverat orbe,
Dùm carpit modicæ tenuissima prandia cœnæ
Quò citiùs fiat redimendi summa parentis,
Absentemque domus memorat, reducemque precatur ;
Exspectatus adest genitor, qui dulcia postquàm
Mille suis figens capiens quoque mille vicissim
Oscula, blanditiis longum satiavit amorem ;
Continuò meritas cœpit persolvere grates,
Muneris ipsorum totum id ratus esse, propinquos
Si tandem liber patriamque laresque revisat.
Obstupet ipsa rei domus inscia ; moxque sub imâ
Mente virùm putat, ingenti qui munere nuper
Magnificæ dederat certissima pignora mentis.
Nempè Secondatus dederat ; pretioque soluto,
Eripiens hominem vinclis populoque feroci,
Reddiderat civem patriæ natisque parentem.
Hunc memor usquè domus grato sub pectore versat,
Perque urbem totam studio perquirit inani.
Post aliquot tandem confectis mensibus orbes,
Hunc quondàm juvenis subitum videt ; atque videndò
Erumpunt lacrymæ ex oculis, turbatus et amens
Volvitur ante pedes, dextram comprendere gestit,
Tutelam miserûm dextram, et, quasi numine viso,
Pro tot muneribus justas effundere grates.
Attamen, ingenti quanquàm sit pectore dignum

Cernere felices proprio de munere factos,
Alma Secondati sub corde modestia vicit;
Agnovisse negat juvenem, laudesque recusat :
Massiliæ quippè externus; tunc præpete cursu,
Iratus velut, at dulces accensus in iras,
Et populum et mœsti jnvenis pia lumina fallit.

CONCOURS DE 1811.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

BLONDEL, Élève du Lycée Napoléon,
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

INSTITUTION PARMENTIER.

Les Ruines.

Quis nescit quàm grande decus frondentibus hortis
Longævi lapides addant, memoresque ruinæ?
Felix ille quidem, qui conscia temporis acti
Rudera, Mavorti raptas et edacibus annis
Relliquias retinens, potuit concludere parvis
Historiam veterem fugitivaque sæcula septis!
Quàm lætus monumenta videt, molesque verendas
Luminibus tacitis lustrat, labentis et ævi
Disjectis compressa legens vestigia saxis,
Tempora, facta, viros, obtutu colligit uno!

Hinc pia tecta vocant humilis pia tecta sacelli,
Parva quidem sedes, sed magno grata Tonanti:
Supplicibus quondàm hìc votis cœleste precari
Auxilium agricolæ, zephiro redeunte, solebant,
Felicemque novis exposcere frugibus annum.
Nunc etiam locus antiquum sibi servat honorem;
Vivax relligio gelidis altaribus hæret.

Illinc semirutis jàm turribus, usquè minatur
Castellum summo suspensum culmine rupis:
Undè ferox animi vicina per oppida quondàm
Duxve comesve gravi populos ditione premebat.
Lumine sollicito vix aspectare colonus
Nigrantes muros sævamque tyrannidis arcem
Audebat pavidus: verso munimina fato
Procubuêre: jacent dispersis mœnia saxis;
Mœnibus insultant pecudes, desertaque dulcem
Securæ volucres posuêre per atria nidum.

Parte aliâ, silvis abscondita templa recedunt.
Hìc pietatis amans, sacris devota Deoque,
Ætatis breve ver fugitivaque gaudia virgo
Plurima despexit, purâque innoxia vitâ
Consumpsit teneram precibus lacrymisque juventam.
Porticibus vacuis proh! quanta silentia! quantus
Horror! inexperto pectus terrore movetur,
Dùm lapides ævo exesos et squalida musco
Rudera, dùm rupti collapsos fornicis arcus,
Secretasque aras, genibusque attrita precantûm
Marmora, et æterno loca numine plena tuemur.
Ergò relliquias, ævi monumenta prioris,

Si qua tibi obtulerit vultu fortuna secundo,
Hortorum placidas sedes et amœna vireta
Hinc illinc variis certes distinguere scenis.
Tunc veluti veteres inter veterumque penates,
Ipse videre tibi non unius incola sæcli.

DEUXIÈME PRIX DES NOUVEAUX.

LALLIER, Elève du Lycée Napoléon,
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

Même sujet.

Quis nescit quantos docto discrimine cultus,
Inter purpureos horti frondentis honores,
Addant annosæ, veterum monumenta, ruinæ?
Felix qui potuit secreti includere ruris
Mœnibus, historiæ longinquis conscia sæclis
Rudera, relliquias bellorum et Martis iniqui,
Aut quæ paulatìm violavit longa vetustas!
Quàm juvat antiquas avido percurrere moles
Lumine, et annorum et vestigia quærere lapsi
Temporis, augustæ saxorum impressa senectæ!
Hinc animum appellant humilis pia tecta sacelli,
Parva domus, sed grata Deo; meliore solebant
Hìc sæclo agricolæ, veris quùm grata redirent
Tempora, quùmque sinu molles efferret aristas,
Spes anni, tellus, cœli implorare faventis
Auxilium, precibusque piis, puroque rogabant
Pectore felicem maturis frugibus annum.
Simplicibus nunc hæret adhùc veneranda ruinis
Relligio, repletque locos: nunc ipsaque saxa,
Diruta saxa sacrum numen spirare videntur.

Illinc aspicias dumosis rupibus arcem
Suspensam, et fractas disjecto culmine turres
Ingentesque minas murorum : hìc oppida quondàm
Terrebat dominator apex, vicinaque latè
Rura comes vel dux ditione premebat herili.
Mœnibus eversis pede nunc armenta superbo
Insultant, nunc semirutis in turribus hospes
Turba avium posuit, secura cubilia, nidos.

Parte aliâ, silvis umbrâque horrente recedunt
Abdita templa, sacris ubì dedita plurima virgo,
Voti immortalis quam ferrea vincla ligabant,
Consumpsit fletu insontem precibusque juventam;
Donec gaudentem lacrymis et cælibe vitâ
Terris defunctam cœlum dotale recepit.
Porticibus vacuis proh ! quanta silentia ! voce
Jàm non virgineâ, sancto non carmine mœsta
Templa sonant. Sed nos viridi dùm squalida musco
Rudera et effracti collapsos fornicis arcus
Lustramus, genibusque piis attrita precantûm
Marmora, sacratasque animis felicibus aras;
Atraque majestas nemorum, frondumque tenebræ
Terrificant animum, et latè sacer incubat horror.

Ergò si dederit tales sors fausta benigno
Munere relliquias, ævi monumenta prioris,
Ne dubites adhibere, tuusque arrideat hortus
Pulchrior, immixtis per læta vireta ruinis,
Captaque diverso delectet lumina visu.

CONCOURS DE 1812.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

DELABARRE, Elève du Lycée Napoléon,
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

INSTITUTION PARMENTIER.

Les Monumens de la Haute-Egypte.

Si cui fortè libet veterum monumenta virorum
Visere, et antiquis testem se ostendere sæclis,
Ille adeat superam Ægyptum, celebrata locorum
Prodigia; in steriles, famâ duce, tendat arenas
Camporum, validis ubì quondàm mœnibus altum
Urbs Thebana caput portisque superba ferebat;
Nunc jacet; at magni vestigia nominis adsunt.
Hìc lapsu horribili propè præcipites cataractas,
Undè ruens latè reboanti flumine, Nilus
Torrentes devolvit aquas, mox agmine leni,
Ut flumen placidum, lapsurus Memphis in agros:

Sparsa per incultas, quarum propè rudera magna
Solus honos, terras, gentis monumenta vetustæ
Inveniet, longos hominum testata labores.
Stant et templa Deûm, solidâque in mole columnæ,
Atque triumphales arcus; tempusque fatigant
Ignotis rerum monumenta inscripta figuris.
Stant etiam divûm statuæ, enormesque colossi,
Virgineæ Sphinges, nigri quoque Memnonis ora,
Quæ malè credula gens dare vivâ voce putabat
Auroræ radiis gemitus, quasi saxea nati
Redderet effigies matri responsa vocanti.
Omnia credideris perfecta labore recenti,
Usquè adeò lapidum formas, liquidosque colores
Picturæ servat regio, quam Phœbus amicâ
Luce fovet, cui parcit hyems, atque humidus auster.
Illa hæc visa tamen jàm multis anteà sæclis,
Græcorum historiæ testes, jàmque omnia vasta,
Omnia tùm latè circà deserta jacebant.
Nil præter steriles fœdæ regionis arenas
Atque etiam monstris vel inhospita tesqua ferarum;
Nil erat Ægypti, nisi triste, informe cadaver.
Proh Superi! quæ fata hominum! quæ fata locorum!
Qui tantas moles et tot miracula rerum
Exstruxit populus longos mansura per annos,
Jamdudùm periit, mox et monumenta peribunt!
Quæ regio innumeris tantâ cum laude vigebat
Urbibus, attonito quondàm spectabilis orbi,
Maxima terrarum, vix unus et alter eamdem
Invisit, rerum adductus novitate, viator.

Haud omnes impunè quidem, nam sæpè sub altis
Ædibus, humanam deserto è culmine prædam
Nonnullus speculatur Arabs, gens barbara, rapto,
More feræ, vivens, quoddam genus ipsa ferarum;
Ac veluti è nido vultur, nil tale timentes
Indè viatores subito arripit impete prædo,
Exuviasque hominum horrendo clamore reportat.

DEUXIÈME PRIX DES VÉTÉRANS.

MÉZIÈRE, Elève du Lycée Impérial,
(aujourd'hui Collége de Louis le Grand.)

Même sujet.

SI quem fortè juvat veterum monumenta tueri,
Et legere impressas saxis vivacibus artes,
Præteritisque novum se testem sistere sæclis,
Ægypti superæ campos et nobile littus,
Prodigiis loca fœta, petat, petat ardua cursu
Arva, ubi surgebant florentis mœnia Thebæ
Murorumque minæ ingentes; interroget umbram
Regalesque situs urbisque informe cadaver.
Horrentes inter scenas et propter aquarum
Aerios lapsus, erumpens undè ruinam
Dat strepitu ingenti per saxa sonantia, latis
Illapsurus agris placido mox agmine Nilus:
Inter arenosæ regionis inhospita, longi
Illìc inveniet vestigia certa laboris,
Et veterum monumenta virûm mirabitur annis
Illæsa, et patriæ victas mirabitur artes.

Stant etiam annosi lapides, stant usquè columnæ
Immemores ævi, stat fornice plurimus alto
Arcus, et ambiguis delubra inscripta figuris.
Stant Superûm immanes procerâ mole colossi,
Virgineæ Sphynges et nigri Memnonis ora,
Credita nascentes Auroræ matris ad ortus
Rumpere, si qua fides, questus, et prodere veros
Marmore sub gelido saxoque gemente dolores.
Hæc perfecta putes hesterno cuncta labore;
Picturæ usquè adeò lapidisque pepercit honori
Nescia brumali regio tepescere flatu,
Nescia disruptis horrescere nubibus imbres.
Hæc operum spectanda tamen miracula, multis
Antè annis, Graii fidis annalibus omnes
Testantur, veterûm testantur scripta parentûm.
Jàmque ingens tunc æquor erat, deserta patebant
Latè immensa, nihil sitientes præter arenas,
Nil præter miseris mortalibus invia, et ipsis
Invia tesqua feris. Hìc terra malignior ægro
Difficilem gremio victum fructusque negabat;
Æstiferi nullum prohibebat sideris ignes
Hìc nemus hospitio ramorum et mobilis umbræ;
Hìc fons rarus aquam vix sufficiebat avaram.
O miseros homines! meliora ô fata locorum!
Naturæ victrix tantas industria moles
Condidit, artificum stat fama superstes, et ipsi
Artifices periêre! fuit gens docta superbas
Quæ, magicâ velut arte, domos erexit ad astra!
Quid tibi nunc prosunt, Ægypte, palatia regum

Splendida, et exstructæ famulo sudore columnæ?
Tot gravida imperiis, tot nobilis urbibus olim,
Nunc regio vix nota jacet, vix unus et alter
Hanc obit impulsus rerum novitate viator.
Infidos impunè aditus nec semper oberrat :
Nam veteres tumulos et conscia temporis acti
Rudera sollicito dùm lumine lustrat, in ædis
Intima[1] sæpè latent assueti vivere rapto,
Gens inimica, Arabes, studiisque asperrima prædæ,
Undè, velut nido vultur speculatus ab alto,
Erumpit prædator Arabs, miseràque peremptum
Morte viatorem, corpusque informe relinquit.

[1] *In* gouverne ici l'ablatif; la grammaire voudrait : *In ædis intimis*.

PREMIER PRIX DES NOUVEAUX.

BRIGANDAT, Elève du Lycée Napoléon.
(aujourd'hui Collége de Henri IV.)

INSTITUTION PARMENTIER.

Même sujet.

Te veterum monumenta juvat memoresque ruinas
Cernere, præteritis quasi testem assistere sæclis,
Atque etiam æqualem transactis vivere rebus:
Ægyptum superam, et campos ubi magna fuerunt
Mœnia Thebarum, famosaque rudera quære.
Quà strepitu ingenti per saxa, morasque fragosas
Præcipitat Nilus, qui mox rigat amne quieto
Oram Memphitem quondàmque uberrima rûra,
Dispersas passìm invenies arentibus agris
Relliquias, æstu bellorum et edacibus annis
Ereptas, passìm gentis monumenta vetustæ,
Sudores fluxorum hominum testantia multos.
Permanet artifici populo labor usquè superstes.
Augustas ædes, altariaque integra Divûm

Stare vides; solidis stat porticus alta columnis,
Atque triumphales arcus, inscriptaque regum
Nomina victorum super, ignotæque figuræ.
Omnigenûm stant monstra Deûm enormesque colossi,
Desertis astat gradibus Sphynx, ventre canino,
Virgineâ facie : post nigri Memnonis ora
Quæ mœrent radiis Auroræ matris; ibi æri
Est sua relligio : nullum est sine numine saxum.
Has operum moles perfectas arte recenti
Credideris; priscum servârunt saxa nitorem,
Nec pluvias nec passa hyemes regione beatâ.
Hæret honos lapidi usquè suus, picturaque vivax :
Multis antè tamen sæclis opera illa vetustas
Vidit et obstupuit; tu, Græcia, testis adesto,
Et vos, annales Graiorum, molibus illis
Æquævi, certò perituri seriùs : ingens
Tunc quoque desertum, tunc omnia muta, superbæ
Procubuêre domus regum; pro messibus almis
Aggere arenarum sterili latet horrida tellus,
Latè tesqua feris, catulis invisa ferarum.
O sortes hominum instabiles! O fata locorum!
Quæ tantas operum moles æquavit Olympo,
Exstruxitque suæ monumenta perennia laudis,
Gens periit, superest modò magni nominis umbra!
Quæ fuit ora potens numerosis urbibus, illam
Hospite contingit prorâ vix unus et alter
Impulsus rerum mirâ novitate viator.
Inceptæ quem sæpè viæ piget, heu malè cautum!
Quandòque in tecti latebras, stabula abdita, sese

Prædo recepit Arabs, assuetus vivere rapto.
Spectat relliquias venerandaque rudera mirans
Advena, et incedit securus : at ecce repentè,
Vultur ut è nido prædas invadit inermes,
Latro sic timidum ruit improvisus in agmen.

CONCOURS DE 1813.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

MOREAU-CHAMPLIEUX, Elève du Lycée Impérial.

(aujourd'hui Collége de Louis le Grand.)

INSTITUTION PARMENTIER.

Uranie présage à Christophe Colomb la découverte d'un Nouveau-Monde.

Est novus Oceano latè circumfluus orbis,
O nate! hunc nunquàm, primævi ab origine mundi,
Cognovit mortale genus : sic fata vetabant.
Hàc tu pande viam populis : jacet abditus ultra
Longinquos pelagi tractus ingentis; in orbes
Divisus geminos, quorum àlter torridus Austrum
Spectat; in Arctoas alter se porrigit oras.
Non plures gemmas habet altera, non fluit auro
Terra magis, pinguis non lætior ubere glebæ est.
Campos flava Ceres, densis gravis uva racemis

Pampineos vestit colles; juga celsa coronant
Undantes vento sylvæ, vallesque per imas
Irrigui ludunt sinuosis flexibus amnes.
Hìc tecum indigenas sociabis fœdere gentes,
Hìc populis sine more vagis, cultuque ferino,
Advectus patrias leges dabis : aspera corda
Relligione tuâ flectes : hìc te manet ingens
Gloria, quam nullo poterit delere vetustas
Tempore, quòd primus peregrinum inviseris orbem.
Respice ad hæc : sed enim series te longa laborum,
Dura fatigabunt discrimina, nate, priusquàm
Littora felici tangas optata carinâ.
Scilicet, heu! semper magnarum exordia rerum
Mille pericla premunt, obstacula mille retardant.
Prælia ventorum, nigrâ formidine nimbi
Cœlum involventes, fulmen, commota procellis
Æquora, terrificisque magis metuenda procellis
Marmoris ipsa quies, et tædia longa viarum :
Te quondàm in medio cruciabit perfida ponto
Deficiente fames victu, multisque diebus
Horrebis mortis faciem jamjàmque propinquæ;
Jejunos morbi invadent contagia nautas;
Nec satis est : malesuada tuas Discordia puppes
Conscendet, cæcis erumpens faucibus Orci;
Collectam exacuet rabiem, sociosque rebelles
Urgebit miseris in mutua funera telis.
Tu fortis mala tanta feras : tibi mascula virtus
Casibus ex ipsis, fidensque audacia crescat.
Incepto pudeat proram deflectere cursu,

Infamique fugâ patrios remeare penates.
Perge modò, et rebus te serva, nate, secundis:
En erit illa dies, Divam ne-sperne monentem,
Quùm tu jàm poteris fugientes prendere portus,
Atque exspectatæ tandem oscula figere terræ.
Hìc adero, viresque tibi, turbæque tuorum
Sufficiam; præstabo aditus tibi prævia molles,
Cumque novis populis firmo te fœdere jungam,
Ut gemini faciant commercia mutua mundi.

PREMIER PRIX DES NOUVEAUX.

ALEXANDRE, Elève du Lycée Impérial,

(aujourd'hui Collége de Louis le Grand.)

INSTITUTION PARMENTIER.

Même sujet.

Non incerta tuam cepit sententia mentem,
Nate, nec imprudens alitur tibi corde libido,
Extremos marium cupienti exquirere fines.
Sunt, sunt Oceani trans æquora vasta latentes
Terrarum tractus, et aquis circumfluus orbis,
Quem neque reginæ tàm vasta potentia Romæ,
Nec vaga Pellæi juvenis tetigêre tropæa.
Sed, quem præteritas vetuerunt noscere gentes,
Hunc tibi Dî servant : laus te manet illa, Columbe ;
Unus et orbis erit verè tuus; imò quid unum
Commemoro? Duplex etenim tibi panditur orbis:
Alter ad æstiferum felicia porrigit Austrum
Littora, hyperboreas protenditur alter ad Arctos;
Dives uterque, ferax, et quæri dignus uterque.

Illìc innumeris auri argentique metallis
Terra fluit; viridem gemmas vehit æstus in oram;
Illìc omne micat pecudum genus, atque volucrum;
Illìc omnigenas tellus fert prodiga fruges;
Arva Ceres vestit; pendent in collibus uvæ;
Arboribus juga celsa virent, vallesque profundas
Pinguia fecundis irrorant flumina lymphis.
Nec populi desunt; nam quis tàm dulcia credat
Arva feras tantùm et sævos nutrire leones?
His tu cum populis solemnia fœdera junges,
Et leges et sacra dabis, stabilesque docebis
Ædificare domos, et cingere mœnibus urbes.
O quæ laus et quanta tibi, quùm conditor orbis
Alterius diceris homo; quùm moribus illos
Ornâris populos, qui nunc, ut prisca propago,
Per nemora et montes certâ sine sede vagantur!
Hæc est quæ nullis minuetur gloria sæclis;
Quæ mundo hærebit vivax, semperque vigebit
Integra, dùm stabit quem tu detexeris orbis.
Sed priùs hâc tantâ quàm victor laude fruaris,
Et lætam optato sistas in littore navem,
Longa tibi series erit experienda laborum;
Illud enim jussit fatorum æterna voluntas,
Statque hoc in fatis; horrent, et semper acutis
Sentibus horrebunt magnarum limina rerum.
Tristia quid memorem longi fastidia cursûs?
Quid flammis gravidas nubes, ignotaque flabra
Ventorum, et magno commotos murmure fluctus,
Et maris interdùm cæco pejora furore

Otia, quùm placido torpebit in æquore navis,
Esuriesque sitisque tuas premet improba fauces?
Nec satis: infernis erumpens horrida regnis,
Æquoreos nigrâ tractus Discordia pennâ
Trajiciet, mediis et te deprendet in undis.
Hei mihi! quàm sævos nautarum in corde furores
Exacuet! procùl hoste, procùl terrestribus oris
Bella geres tamen; et socios, insana furentes,
Seditiosa tibi tela intentare videbis.
Sed tu perge tenax, animoque pericula forti
Despice; neu cœptos retrorsùm vertere cursus
Aggrediare; licèt vano tibi turba tumultu
Obstrepat, atque duci mortem scelerata minetur,
Sta firmus: liquidis mox surgent Indica campis
Littora; mox dulci defiges oscula terræ.
Hìc adero præsens, hìc et tibi fausta tuisque
Nunc faciles flectam populos, nunc territa flectam
Corda ducum: per me miscebitur Indus Ibero,
Mutuaque æternum junget commercia fœdus.

CONCOURS DE 1814.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

ALEXANDRE, Elève du Collége de Louis le Grand.

INSTITUTION PARMENTIER.

Le Testament de Louis XVI.

Dejectus solio, et sævo sub judice causam
Dicturus Lodoix, intra horrida claustra sedebat;
Gentis amor quondàm Lodoix, nunc plebis iniquæ
Ludibrium : quem sors pœnas sibi pendere jussit
Invida pro nimio regum splendore priorum.
Non procùl hinc conjux, hinc non procùl alma gemebat
Vinclorum germana comes, geminumque sinistri
Connubii pignus, cum dulci filia nato.
Æquora sed tanquàm intersint immensa, suorum
Complexu arceantur; nec fas solatia ferre
Mutua, nec duros verbis lenire dolores :
Tantâ sacrilegus mala duplicat arte satelles!

Nox erat, et latè mortalia somnus habebat
Pectora; jàm misero trivia exagitata tumultu,
Clamoresque truces et seditiosi ululatus
Conticuêre; jacent somno vinoque sepulti
Custodes; parvâ circùm speculante catervâ,
Rex vigilat; veterem interdùm quatit horrida turrim
Tempestas longè stridens : mox omnia rursùs
Muta silent; solus movet alta silentia bubo,
Compositoque gradu incedens speculatur in umbrâ:
Tùm sibi præsentem Lodoix astare videtur
Ante Deum solus; surgit mens alta, velutque
Cognato jàm mixta solo : mox firmior indè
In terras redit, et tabulis se tota supremis
Effundit, non fracta malis, non gentis amatæ
Immemor, et patrios servans in funere sensus.
« Hanc tibi, summe Deus, quam plebs insana reposcit
Criminis expertem, sed non parere negantem,
Hanc tibi trado animam : gremio, Deus, accipe fausto
Terrâ excedentem Lodoicum, et dulce petentem
Naufragio ex tanto littus; scis ipse, rebelles
Quæ mihi nunc cives intentant crimina, quantùm
Horruerim; tu testis eras, tu conscius; omnis,
Omnis abest sceleris nostro de pectore labes;
Innocuusque cadam; nisi quòd clementior æquo
Sæpè fui, nimiùmque meos invisus amavi.
Sed quamvis odio, quamvis nec causa querelis
Ulla subest, studioque furunt impunè furendi,
Haud tamen ultrices votis arcessere pœnas
Fert animus. Mene in populos infanda precari

Regem, et vindictæ solitum præponere mortem!
Non ità: nec fas est natos odisse parenti,
Nec mihi tot Gallos; laudes in crimina vertat
Gens ingrata, feris et me miscere tyrannis
Audeat; injustas justis non persequor iras.
Quin horum potiùs, me, me exorante, dolorum
Accipiant veniam; parce, ô Deus alme, tremendam
Siste manum.... cæcis moriens ignoscis et ipse.
Vos quibus incumbit pro me vis tanta malorum,
Vos soror et conjux, semper fratrique viroque
Dilectæ, vestros mihi condonate labores.
Nec minùs ignoscant miseri communia nati
Pignora, quos utinam melior fortuna quieto
Restituat regno, dignâ qui sorte fruantur,
Non qualem patior....! Tu verò, ô nate, paternum
In solium si quandò tibi remeare licebit,
Hoc monitum te, nate, volo, ne pectore sensus
Tunc foveas nimiùm memores, sed fortiter iram
Abjicias, fido populos complexus amore,
Et non degenerem patrio te sanguine præstes. »

DEUXIÈME PRIX DES NOUVEAUX.

BIGNAN, Elève du Collége de Bourbon.

Même sujet.

Tot regum soboles, solio dejectus avito,
Moxque sub infenso dicturus judice causam,
Carcere in infami, jàm rex sine honore sedebat,
Quondàm gentis amor Lodoix dùm sceptra teneret,
Nunc indigna ferens sævæ ludibria plebis.
Haud procùl hinc generosa soror, conjuxque fidelis,
Vinclorum comites, stabant in carcere, fratre
Digna soror tanto, tanto uxor conjuge digna.
Coram matre duplex, deplorandusque jacebat
Infelicis honos thalami, pars maxima casûs,
Filia cum nato. Quàm vellet uterque catenas
Rupisse, et collis supremùm hæsisse paternis!
Sed tanquàm natos miseros miserumque parentem
Immensum longo mare dividat intervallo,
Complexu arcentur regis : solatia ferre
Non datur, et verbis ægrum lenire dolorem.
Ergò per obscuram noctem, dùm cuncta silebant,
Et dùm custodes circùm per limina fusi

Seram carpebant defessâ mente quietem,
Rex vigili Gallos etiam tùm amplexus amore,
Invictosque malis servans sub pectore sensus,
Mandata impavidus sic exarat ultima ceris :
« Hanc tibi, supplicio quam plebs insana reposcit,
Hanc animam commendo tibi, Deus optime! nôsti,
Qui regum æterno scrutaris lumine mentes,
Ipse quidem nôsti quàm longè à pectore nostro
Crimina, quæ vulgi furor impius objicit, absint.
Vixi insons, testorque tuum venerabile numen,
Me semper totum patriæ invigilâsse saluti.
At quanquàm populo tanti non ulla furoris
Causa subesse potest, Gallos regique patrique
Est odisse nefas; potiùs, me supplice, Gallis,
Gallis, summe Deus, veniam concede, meisque
Parce, precor, populis, cæcoque ignosce furori.
Vos quorum capiti propter me tanta malorum
Vis ruit, insontis, quæso, miserescite regis,
Fratri ignosce soror, conjux ignosce marito:
Nec minùs ignoscant communia pignora patri;
Tu, filî, monitus supremaque jussa parentis
Fige animo : melior si nostra in sceptra reponat
Te fortuna, omnem, nostræ necis immemor, iram
Pone, nec ullius nostrum lue funere funus,
Sed Gallis, patrio proprioque accensus amore,
Ignosce : ulcisci patrem sic maxima nato
Laus erit; in tumulo mea sic lætabitur umbra. »

CONCOURS DE 1816.

PREMIER PRIX.

VANNSON, Elève du Collége de Louis le Grand.

Lutte poétique entre Hésiode et Homère.

GLORIÀ Chalcidicæ gentis, fortissimus heros,
Occiderat letho Amphidamas, Eubœaque sacris
In funebre decus fervebant littora ludis.
Atque haud corporeo certatum est robore tantùm,
Ingenii quoque pugna fuit : nam carmine docto
De laude Aoniâ clarus contendit Homerus,
Ascræusque senex; ergò convenerat omnis
Græcia; quin, magnum certamen totus Olympus
Cernebat, veluti summo despexerat olim
Æthere Trojugenas Danaosque in bella ruentes.
Tùm, qui tanta virûm celebrârat prælia, surgens
Mæonius grandi cum majestate poeta
Omnia corripuit Graiorum corda canendo.
Namque canebat utì magnos discordia reges
Invadens, populos in mutua funera magnos

Egerit, ut Danaûm intulerit mala plurima genti.
Dein sævam Martis rabiem, et Simoenta cruentos
Narravit tumido volventem gurgite fluctus,
Atque exundantes fumanti sanguine campos.
Tunc implacatam mentem memoravit Achillis,
Fidentes Phrygios, ducentem in prælia divos
Hectora, et Argolicis illatos puppibus ignes;
Deniquè totam aciem pereuntem unius ob iram,
Dùm cari nece Patrocli succensus Achilles,
Vindictam sitiens animo, tumidusque furore,
In pugnam redeat victricia fata reducens,
Atque Hector, Trojæ spes ultima, concidat Hector.
Dixit, et Argivi plausu fremituque secundo
Excepêre virum, majorum insignia facta
Scilicet audierant, monumentaque laudis avitæ.
Tunc alter cœpit grandi minùs ore poeta,
Et Superûm patrem cecinit, sævique potentem
Fulminis, ingenti qui cœlum numine torquet;
Tùm Divos Divisque satos, tùm furta Promethei
Sacrilegumque dolum, atque illatum gentibus ignem,
Iratumque Jovem, natamque ad jussa Tonantis
Pandoram, et miseræ fatalia munera capsæ,
Undè homini venit moles immensa malorum,
Et dolor, et morbi insomnes, et tristis egestas,
Et quos quæque dies revehit sine fine labores.
Hinc tellus vertenda manu, rostroque domanda
Assiduo, ut lætas largo ferat ubere messes,
Anxia nec fallat delusi vota coloni.
Multa quoque adjecit terris præcepta colendis;

Tùm varias artes laudavit pacis amicas,
Atque inter socias junxit commercia gentes.
Hærebant dubii suspensis mentibus omnes,
Quis foret ingenio melior, quis victor habendus;
Sed dixêre senes : « Tu vatum major, Homere,
Tu laude Aoniâ nulli superandus, at ille
Utiliora docet; dùm tu canis impia bella
Heroasque truces, solâque cupidine captos
Cædis, et humano venales sanguine lauros,
Tu canis à fundo quid gentes eruat imo;
Ille, quid æthereis cœlorum sedibus æquet.
Ergò sibi tripodis ferat aurea præmia victor.

CONCOURS DE 1817.

PREMIER PRIX.

DAVELUY, Elève du Collége de Henri IV.

INSTITUTION PARMENTIER.

Néant de la vie humaine.

Quum maris in solâ spatiarer solus arenâ,
Cæruleosque vago lustrarem lumine campos,
Ecce mihi subitò jactari visa per undas
Corporis humani species, impulsaque fluctu
Seriùs allabi securam littoris oram!
Ut vidi, ut tenui vestigia tristis; et illum
Forsitan, exclamo, conjux dilecta, nihilque
Tale timens, alio terrarum exspectat in orbe!
Intereà natus, quæ sint discrimina ponti
Nescius, ancipiti genitricem interrogat ore:
Quandò pater tandem viduos remeare penates
Cogitet, et reditu curas lenire suorum.
Forsitan infidum facturus vela per æquor,
Confectum senioque patrem morboque reliquit,

[illegible] menstru [illegible]

[illegible] pedalun [illegible]

[illegible] ouve; re[illegible]

[illegible]

Conficit; hunc Divos ingrato thure colentem
Fundentemque preces tristi domus alta ruinâ
Opprimit; ille manu undantes dùm flectit habenas,
Lapsus humi, vitam crudeli vulnere ponit.
Si sapis, et rectè inspicias : qui vivimus, omnes
Lustramus scopulis in fame latentibus æquor.
Fluctibus obruitur longè pars maxima; pauci,
Pauci adeò tandem tutæ allabuntur arenæ.

CONCOURS DE 1818.

PREMIER PRIX.

AUGUSTE FILON, Elève du Collége de Bourbon.

INSTITUTION LABBÉ.

La grandeur de Dieu manifestée dans les plus petites choses.

NON solùm aerii miris concentibus orbes
Numen concelebrant, non solùm regia cœli,
Ingentes tractus terrarum, immensaque ponti
Æquora, et aeriis cognatæ nubibus Alpes
Artificis summi decus immortale loquuntur,
Et dominum enarrant rerumque hominumque potentem :
Maximus in minimis etiam Deus enitet, olli
Manat ab obscuro pulcherrima gloria fonte.
Aspice ut inter se fraterno fœdere vivant,
Ut placidum certis agitent sub legibus ævum
Melliferæ volucres. Apis ingeniosa labore
Artifici, aurato distendit nectare cellam ;
Grata viris et grata deo, nunc mellea fingit

Munera, nunc templis præbet, pia lumina, ceras.
Aspice cui magni patiens formica laboris
Pareat imperio; non pulchriùs ordine certo
Instructa è castris acies incedit in hostem:
Non meliùs sanctis magnæ stant legibus urbes.
En veneranda cavo respublica clauditur imo:
Formicarum acies, venturæ præscia brumæ,
Frumenta ore trahens ingentia, sudat, anhelat
Si tandem optatas in subterranea moles
Regna referre queat; studiis certantibus, omnes
Incumbunt operi, et totâ nituntur opum vi.
Cætera quid referam quæcunque ingloria sordent
Pulvere in obscuro, vel quæ per opaca locorum
Arboreas frondes morsu sectantur edaci,
Vel grandes terebrant animantia parvula truncos?
Cernis quàm variâ decorentur singula formâ
Corpora, quàm miros renovato corpore somnos
Accipiant, veterem ut soleant mutare figuram?
Conditur intexto squalens eruca sepulchro
Frigida, deformis: sed falsæ mortis ab umbrâ
Papilio emergit, nitidisque levissimus alis,
Qui nuper reptabat humi vix mobilis, ecce
Nunc positis novus exuviis, viridique juventâ
Versicolor, natale solum fastidit, et altè
Insuetas surgit, jam non terrestris, ad auras;
Floribus omnigenis lætos, flos aliger, hortos
Pervolitat: miro florum pellectus amore,
Lilia tangit ovans, narcisso basia raptìm
Figit, et indè rosæ regales libat honores;

Formosas populatur opes formosior ipse,
Et florum splendore novo non vincitur ipse
Splendidior; rutilas picto cum murice gemmas
Confluxisse putes in papilionis honorem.
Ecquid ego addiderim? Naturam respice totam:
Maximus in minimis etiam Deus, omnia clamant.

DEUXIÈME PRIX.

BONNET, Elève du Collège Charlemagne.

Même sujet.

I, mortalis homo, cœli convexa tuere;
Aspice ut immenso protenditur intervallo
Axis, et æthereus latè tegit omnia fornix.
Sidera, si possis, numera, stellasque Tonantis
Sedibus affixas : sacro fulgore coruscam
In solis faciem defigere lumina tenta.
Posse negas : humilem demissior inspice terram.
Cerne, procellosâ qui dissociabilis undâ
Occiduos tractus Eoo separat orbe,
Oceanum ingentem; montanas aspice rupes
Invida inoffensâ quæ vincunt sæcula fronte,
Atque indignatis æquatas nubibus Alpes.
Hæc sunt magna quidèm; cœleste fatentia numen,
Mortalem hæc poscunt, plusquàm mortalia, cultum :
At summi laudem artificis non sola loquuntur.

Maximus in minimis Deus est; dextræque potenti
Materia haud tenuem tenuissima præbet honorem.
Aspice quo volucres inter se fœdere vivant
Florilegæ, vig li quæ mella liquentia curâ
Donum conficiunt altaribus utile, ceram.
Cerne quod imperium, quas servet sedula leges
Gens pede prompta brevi, patiens formica laboris.
Pulchrior armatis non bellatoribus ordo
Quùm castris acies instructa patentibus exit,
Nec jussis meliùs magnæ stant moribus urbes.
Cætera quid referam, terrâ quæcunque relictâ
Arboreas insecta solent depascere frondes,
Quæ sub arenosâ calcat pes inscius orâ,
Quæque cavas trunci terebrant robusta latebras?
Quàm variæ passìm fallunt mirantia formæ
Lumina! quàm mirus mutato corpore somnus,
Utque figura subit positam diversa figuram!
Menstruus erucam sopor occupat; illa sepulchris
Textilibus cutis exuvias tumulata relinquit:
Pellis at exutâ non deficit altera pelle.
Quæ repsit, mora nulla, valet perrumpere, facta
Papilio, bustum victrici pensile pennâ:
Desuetam hic quærit lucem, gaudensque repertâ
Exsilit. En sese redivivus in aere librat,
Et, flos ipse novus, florentem hinc indè per hortum
Involitat: fugitiva rosæ nunc oscula libat,
Nunc, benè olens amaranthe, tibi vagus insidet hospes:
Nulla volucris eum formâ gratissima vincit,
Nulla volucris eum vivis splendoribus æquat.

Quàm variè pictas expandit discolor alas!
Huc aurum, huc gemmæ, rutilans huc confluit ostrum.
Ergò age! bestiolà, tu qui moriturus, ab unâ
Omnia disce Dei; dextramque agnosce potentem,
Et pius in minimis præsens jàm numen adora.

CONCOURS DE 1819.

PREMIER PRIX.

HURE, Elève du Collége de Louis le Grand.

Caligula ordonne que sa statue soit placée dans le temple de Jérusalem.

Vesano affectans plusquàm mortalia fastu
Et capitolino jàm non contentus honore,
Ecce suam Solymæa jubet per templa locari
Caius effigiem atque Deum abjurare Sionem,
Jàm sua mutatis culturam numina sacris,
Ultricem minitans parere negantibus iram.
Jàm, duce Petronio, tumidi ad mandata tyranni
Agmina Romulidûm subeunt Ptolemaida, verno
Aggressura sibi devotas tempore turres.
Heu! venerandam arcem, summi delubra Tonantis
Davidiâ fabricata manu, pulsataque festis
Carminibus totiès, loca sacra, profanus habebit!
Stabit sacrilegi, teste Omnipotente, tyranni
Effigies, victoque Deo dominabere, Cæsar!

Instanti stupefacta malo turbatur Idume:
Convenêre pii; luctus induta severos
Relligio, ut Macedùm quondam victricia vicit
Agmina, Alexandrumque Deo indulsisse coegit,
Natum Ammone licèt; precibus nunc vincere rursùs
Tentat et instanti muros exsolvere peste:
Haud felix rursùs pariter; lugentibus obstat
Cæsaris astrictus monitis, veniamque Sioni
Petronius non spontè negat, sævitque coactus.
Ut vanas vidêre preces, vota irrita cives,
Jàm satiùs duxêre mori quàm jura Tonantis
Frangere; volvuntur nudâ tellure jacentes,
Vulneribusque patent, gladiosque necemque lacessunt.
Nec satis est, passìm suspensa negotia cessant,
Indicto quasi justitio, vastusque per urbes
Erravit sine voce dolor, venerandaque templi
Hæret supremùm complexus limina civis,
Limina sacrilegis Caii jàm debita sacris.
Cessat rure labor, medio stant vomera sulco
Nequicquàm; damnat venturæ tristis arator
Spem segetis, quam non per dulcia festa licebit
Consecrâsse pias, votivum munus, ad aras.
Cedere Petronius tantâ pietate coactus;
Ignavam mentem subiit Deus, inque Sionem
Conciliat lenes animos. Heu! cur sibi Cæsar
Ignovisse vetat? miseros cur perdere jussum est?
At saltem indulget quantùm licet, atque superbum
Ipse humilis precibus statuit tentare tyrannum.
Sed frustrà: timet heu! nimiùm crudelia novit

Pectora, et invitus secum reminiscitur iras
Cæsaris indocili minitantis dira Sioni.
Mittuntur Romam miseri qui tristia cives
Fata, preces referant, potioraque funera turpi
Obsequio, et moveant pietatis imagine Caium.
Amens ille furit contemni jussa, decusque
Immortale rapi : mortem, tormenta minatur
Petronio, sceleris pœnam excidiumque Sioni.
Isacidis non tu, princeps vesane, minaris;
Ipse tuas patiere minas; dùm fata sinebant
Sævisti satis usquè; vetat Deus ille, per ipsa
Delubra eversum quem tu delere parabas,
Cui te majorem tumido te corde tulisti,
Ulteriùs sævire vetat; tibi limina sacra
Attrectare nefas; jàm funere vita pianda est,
Seriùs heu nimiùm! sceptrum cadit ecce superbis
E manibus, feriente Deo : præreptaque cessit
Incassùm ambitio; numen mortale fuisti.

CONCOURS DE 1820.

PREMIER PRIX.

LEMAIRE, Elève du Collége de Louis le Grand.

Apothéose du duc de Berry, et sa prière devant Dieu.

SANGUINE Borbonidûm magnisque parentibus orta
Progenies, quassique diù spes ultima regni,
Carolus, ante diem scelerato funere raptus,
Abstulerat patriæ columenque decusque gementi.
Jàm meliora petens, patrio jàm reddita cœlo
Mens immortalis natalem intravit honorem,
Et loca plena Deo tangens sedemque piorum,
Lumine divino, superis immixta, refulsit.
Tùm, quos progenuit stirps illa prioribus annis,
Magnanimi reges assurrexêre nepoti :
Sed veniunt gemini ante alios, quos mortis acerbæ
Ferrea lex, fato quondàm demersit eodem :
Alter, quem memores populi dixêre parentem,
Alter adhuc à cæde recens; virtutibus ambo,
In populumque piis memorandi affectibus ambo,

Mox stetit ante Deum, majestatemque tremendam
Contrectare oculis metuens sanctissimus heros,
Pronus adoravit, fuditque has pectore voces :
« O Deus! ô cœli terræque æterna potestas,
Quem primâ sensit clementem ab origine mundus,
Absit ut effusis iterùm data præda procellis
Gallia, crudeles nimiùm, non noxia, pœnas
Borboniâ pro cæde luat; satis una superque
Supplicia exhausit, modò quùm civilibus undis
Turbida, ferales doluit perpessa tumultus,
Quùm Rex atque pater, natorum ereptus amori,
Perdebat sterilem longinquo in littore vitam!
Parce, Deus! Quin, si qua meis tu civibus ultrà
Asperiora paras, en adsum victima; sanguis
Sufficiat tibi noster, eo scelus omne pietur.
Parce, precor supplex! animâ, Deus alme, litavi!
At mihi quos rapuit violentia sortis iniquæ
Improvisa nimis, cum totis mensibus annos
Regi redde meo; divini ad nominis umbram
Crescat in immensum fatalis vita, nec ullas
Ille reformidet fraudes cœtusque nefandos
Per quem surgit ovans, per quem sua Gallia vivit!
En superest conjux, fido quæ percita luctu,
Sola domo vacuâ noctemque diemque vagatur
Mœrens, absentemque vocat malesana maritum.
Quanquam ô! nata mihi soboles si prima maneret!....
Summe Deus, sacro fecundos pondere menses
Maturare velis, quùmque hora puerpera matri
Venerit, optati Gallis da munera partûs!

Illa piæ saltem veniant solatia matri!
Floreat intereà felici Gallia regno,
Auspiciis defensa tuis; secura futuri
Floreat, et sanctis agitet sub legibus ævum.
Cedat et Impietas regnoque animisque repulsa:
Te duce, Relligio, castis ornata ministris,
Templorum insideat renovatis altior aris!
Regis ad exemplum, flagrent pietatis amore
Heu! nimium resides animi, neglectaque sacra
Restituant; tu nunc regnes Lodoice secundo!
Ergò me quoniam cœli stellata recepit
Regia, et æternæ prætendit gaudia lucis,
Sit mihi, sit demùm tanti pars prima triumphi,
Ut videam Gallos, famæ melioris amantes,
Borboniamque domum, bellorum à turbine tutam,
Mutua jungentes inter se fœdera, pacis
Carpere securam, te circumstante, quietem. »

CONCOURS DE 1821.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

GUSTAVE DE WAILLY, Elève du Collége de Henri IV.

L'Industrie humaine.

Quæ non assiduis rerum miracula curis
Promit homo? quid non superat labor improbus? olli
Nequicquàm adversâ torrentes mole videntur
Præclusisse viam; capita insultantia cœlo
Nequicquàm vicina ferunt ad sidera montes,
Prudensque immenso Deus abscidit æquore terras :
Oppositos obices humana industria vicit;
Cuncta subegit homo; nunc indignantia pontem
Flumina securus transcendere gestit, et undæ
Subjectas ridere minas, iramque sonantem;
Nunc montes æquare solo. Quæ, frondibus atra,
Nuper inaccessâ nemorum caligine gressus
Arcebat silva implicitos, nunc rara patescit,

Miraturque novos, media inter robora, calles.
Ille ultrò pelagus tempestatesque lacessit;
Dùmque brevem fragili vitam committere navi
Non dubitat, terrasque alio sub sole jacentes
Detegit, invento velut orbem duplicat orbe.
Quin etiam cœlo descendere ductile fulmen
Ad nutus jubet ipse suos, et pixide parvâ
Impunè includit captiva tonitrua victor.
Hìc ubi nulla pedum vestigia, diraque voci
Humanæ insuetos implebat noctua saltus
Carmine, et ursorum rabies jejuna fremebat,
Fundamenta locat solers, urbemque futuram
Ædificat, moresque suis et mœnia ponit.
Hìc ubi dumetis latè silvestribus horrens
Terra, venenosas olim, malè fertilis, herbas
Progenuit, pomis se mitibus induit arbos,
Aureus et viridi flavescit campus aristâ.
Nil ubi nuper erat, sæpè hìc homo cuncta potenti
Arte creat, terræque novos usquè addit honores.
Nonne Batavorum qui naufraga littora primus
Incoluit populus, tales effundere voces,
Sicque suos verbis ausus extollere possit?
« Hìc ego naturam vici: quas cernitis, oras
« Proluerat fluctu Oceanus, terrasque tenebat:
« Hunc ego congestis, totus quas obstupet orbis,
« Molibus, à vetitâ jussi decedere terrâ,
« Et tumido dixi pelago: non longiùs ibis.
« Olim irrumpenti quæ mersa sub æquore tellus
« Squamigeros pisces, et monstra natantia vidit,

« Nunc videt humanis exstructa palatia dextris,
« Securique maris fervent per compita cives:
« Pro musco sterili, gratâque paludibus ulvâ
« Fruges ferre solum didicit, gremioque feraci
« Ultrò fundit humus facilem justissima victum.
« Ut volui, mora nulla, locos, tecta alta ferarum,
« Incoluêre homines, purusque vaporibus aer
« Mortiferis per me sævam exhalare mephitim
« Desiit, atque unà solitos effundere morbos.
« Humida dùm quondàm torperent stagna per oras,
« Campo incumbebant nebulæ, cœlumque latebat
« Obscuræ piceâ nubis caligine tectum;
« Nunc fulget nova lux, sese novus explicat æther.
« Insueta insolitas descendit pinus in undas;
« Accepêre rates portus, peregrinaque navis
« Mutua cum gemino junxit commercia mundo.
« Stant validâ defensa manu munitaque bello
« Oppida, et, infensus si prælia provocat hostis,
« Ipse mihi socio famulatur flumine pontus. »
Quis neget ipsa homini parere elementa jubenti?
Terrarum dominus felici regna labore
Amplificat, leges naturæ indicit, et omnes
Dùm superat casus, dùm cuncta obstacula vincit,
Semper ad æternum tendit se extollere numen.

DEUXIÈME PRIX DES VÉTÉRANS.

REQUIN, Elève du Collége de Bourbon.

INSTITUTION SAVARY.

Même sujet.

QUID non humanæ fecunda industria gentis
Extudit, aut quæ non peperit miracula, cladem
Naturâ mirante suam? Labor omnia vincit
Improbus, ac terras, fluctus, atque invia cœli
Terrigenûm imperiis felici subjicit ausu.
Nequicquàm undarumque moras natura minasque
Saxorum ingentes, Alpinorumque jugorum
Objicit horrentes massis glacialibus arces,
Nequicquàm alterius non cognita littora mundi
Dividit immenso cæci maris intervallo;
Oppositos obices humana industria transit.
Nunc rapidos frenat torrentis fluminis æstus,
Et jubet inclusos angusto carcere fluctus
Ingenio servire suo; nunc nubibus æquos,
Qui poterant ævum durando vincere, montes
Æquat dextra solo. Hìc atris loca plena latebris

Intrat homo; jàm silva ruit, regina viarum
Apenninæos inter patet Appia saltus.
Illic parva cohors fragili rate transilit æquor,
Spontè lacessitas ridet superatque procellas,
Et victrix jàm non alienas occupat oras.
Sed montes silvasque solo stravisse superbas,
Et conjuratos pelagi cœlique furores
Debellàsse parùm est: ipsius fulminis ignes
Delabi excelso soboles Adamica cœlo
Imperat, et tenui concludit pixidis orbe.
Quin et sideream gaudet feliciter audax
Affectare viam, aeriique pericula cursûs
Tentat, et, insueto vacuum metita volatu,
Inspicit astriferos oculis propioribus axes.
Quid dicam magnas, dictu mirabile, vires
Queis valet in meliùs speciem mutare locorum,
Vertere cœnosas in dulcia rura paludes,
In campos silvas, inque urbes lustra ferarum?
Hìc ubi nullus adhuc impresserat incola gressus,
Mutuaque horrendi miscebant bella leones,
Constituit celebres hominum labor impiger urbes.
Hactenùs inculto cerealia munera campo
Elicit, atque, sui velut alter conditor orbis,
Ex nihilo quoties creat omnia! Testis et illa
Quæ nuper medio emersit Batavia ponto.
Nonne potest, quæ prima plagas sub marmore tectas
Gens coluit, tales secum sibi dicere laudes?
« Hìc ego naturam vici; has immerserat oras
« Oceanus, latâque solum contexerat undâ;

« En Europa meas mirata est surgere moles,
« Quæ justo expulsum tenuerunt limite pontum.
« Hìc olim fluctus immania monstra secabant,
« Vomere nunc sulcos infundit durus arator.
« Olim infecundâ quæ terra rigebat arenâ
« Nunc didicit fruges; ubique humida putruit alga,
« Aurea fertilibus florescunt messibus arva.
« Per me tot fervènt numerosis civibus urbes,
« Per me jàm puris teter vapor exulat oris,
« Et cœlum hoc aliàs tristi caligine nigrans,
« Nunc siccos recreat meliori lumine campos.
« Navibus innumeris portus patuêre, meæque
« Omnibus exercent classes commercia terris,
« Et gemini important mihi vectigalia mundi.
« Plurima vallavi turritis oppida muris.
« Æmula nequicquàm circùm fremit ira Britanni,
« Libertas nunc certa mihi: famulantibus undis
« Invidiæ hostiles arcet Thetis ipsa procellas. »
Discite, mortales, ex nobis discite et ipsam
Naturam assiduo semper parere labori;
Nil homini vetitum, nisi quærere cæca Tonantis

PREMIER PRIX DES NOUVEAUX.

MOUGENOT, Elève du Collége Charlemagne.

Même sujet.

Quid non humanæ extundit solertia mentis?
Quid non orbe domat labor indefessus utroque?
Olli seu rapidos undis spatiantibus amnes,
Seu rigidi æternâ montis candentia brumâ
Culmina, seu marium scopulis immanè sonantûm
Natura immensos objecerit invida campos:
Naturam audaci domuit virtute rebellem
Ingeniosus homo; nec jàm compescitur ullis
Objicibus. Miseros nuper diffusa per agros
Flumina frenavit, rapidoque ruentia cursu
Humanis tandem imperiis parere coegit.
Hìc montes æquavit humo, qui nuper in auras
Tollebant sublime caput, cœlumque petebant.
Hìc caligantes atrâ formidine lucos
Reclusit, loca mœsta priùs, stabula alta ferarum,
Antiquasque novo disjecit sole tenebras.
Ipse etiam, impatiens terræ, cupidusque vagandi,
Lumina tranquillas olim convertit in undas:

Mox fragilem fragili vitam committere ligno,
Et procùl æquoreas ultrò tentare latebras
Ausus, ab orbe suo externum transcurrit in orbem,
Et, quas ipsa homini prudens natura negabat,
Præbuit arte vias. Nec solus Jupiter ignes
Occupat æthereos : jàm cœlo arcessit ab alto
Fulmen homo, sævasque includit pixide flammas.
Condidit ipse urbes magnas, ubi nulla fuêre
Humanæ defixa priùs vestigia formæ;
Incultamque priùs, multis pubescere pomis
Tellurem docuit, variosque emittere flores.
Sed quid plura loquar? Mortalibus omnia cedunt :
Omnia sæpè creant, ubi quondàm nulla creari
Posse videbantur. Poterit non incola primus
Battaviæ populus, poterit non dicere secum?
« Hìc ego naturam vici; has invaserat oras
« Oceanus : structis audaci molibus arte,
« Quas Europa stupet, veteri de sede frementem
« Oceanum repuli solers; hìc omne natabat
« Æquoreum pecus: hìc magni fundamina regni
« Mortales posuêre, suos posuêre penates.
« Jàm, sterilis, cultore carens, et inhospita tellus
« Sponte suâ insolitis didicit flavescere aristis,
« Et docilis vigili tandem ridere colono.
« Innumeris urbes mihi surrexêre jubenti
« Civibus undantes; crasso graveolentia fumo
« Obscurâ cœlum caligine stagna tegebant :
« Has ego dimovi nebulas, solemque reduxi;
« Desuevitque aer sævam exhalare mephitim.

« Plurima defessis patuit benè fida carinis
« Ripa ; suos habuêre orbis commercia portus.
« Surgentes altis inclusi mœnibus urbes :
« Ipse meos quoque mî socius famulatur in hostes
« Fluctibus Oceanus ; positos transcendere fines
« Jussus, et antiquam properans defendere sedem. »
Sic homini parent elementa, nihilque labori
Durum est, solerti nihil insuperabile menti.

CONCOURS DE 1822.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

SAINTE-BEUVE, Elève du Collége de Bourbon.

INSTITUTION LANDRY.

Le czar Pierre le Grand visite la Sorbonne.

Qualis in immenso sol indefessus Olympo
Uni dimidium semper sibi dividit orbem,
Atque vices mutans nunquàm mutabilis ipse
Occidit hâc, illâ mox idem parte resurgit:
Haud aliter postquàm, Gallis memorabile sidus,
Occiderat Lodoix, et mœrens nocte profundâ
Ingentes secum volvebat Gallia luctus,
Nascenti adversæ gaudebant sidere gentes
Auroràque suâ. Princeps cognomine magnus
Alter hyperboreas tandem dimoverat umbras,
Qui simul atque novum statuit sibi condere regnum

Atque abolere vetus, jussit peregrina venire
Jura imitanda suis, excepit sedulus hospes,
Et placidum extremis vectigal traxit ab oris.
Nec satis est, majora cupit; cupit ipse videre
Rex, quascumque domum referat mox æmulus, artes,
Et pulchrè oblitus regem, illustrisque suorum
Desertor, non arma trahit non agmina, pergit
Nobile solus iter, se devovet omnibus unus,
Omnibus et puram carpit sine sanguine prædam.
  Ut verò instanti spatiosa Lutetia, fastus
Templorum ingentes veterumque palatia regum,
Insuper et spirans Lodoici apparuit umbra;
Ut decus antiquum solii, soliique tenellum
Hæredem, gentisque pios respexit amores,
Obstupuit tacuitque diù, secumque revolvens:
« Hæc est maxima gens, inquit, rex maximus hic est. »
  Nec mora, jam claras devenit regius hospes,
Quas quondàm egregius terræ cœlique minister
Armandus, pius utiliter sanctèque profanus,
Doctis doctorumque Deo sacraverat, ædes.
Hìc post fata jacet, mediâ quasi laude sepultus,
Conditor, et proprio quod struxerat ipse potitus
Marmore, nescio quid mutum imperitare videtur.
Ut statuam princeps saxoque interprete vultus
Cernit, et ingenium sentit sub fronte profundum,
Stat mente attonitus, longo defixus inhæret
Obtutu, reputatque virum fecundaque laude
Tempora, quid talis forti sub rege minister;
Quid demùm valeat tali rex ipse ministro.

Talia volventem rapit admiratio, bustum
Corripit amplexus, lacrymas ex ore decoras
Fundit, et illustri defigens oscula saxo:
« Magne vir, exclamat, nil dedignare colentem,
« Sim licet externus, facit admiratio civem!
« Quin utinàm nostros tua convenisset in annos
« Vita, necinsigni fraudâssent munere fata!
« Regnum ego dimidium lætus, tibi, magne, dedissem,
« Tu mihi regnandi leges reliquumque regendi. »
Audiit è cœlo votum Deus, atque supernè
Nominis hæredem nec non virtutis avitæ
Richelium misit, magnas qui conderet urbes
Ipse carens patriâ, secumque exempla suorum
Exul hyperboreas longè transferret ad oras.

CONCOURS DE 1823.

PREMIER PRIX.

JOUBERT, Elève du Collége de Henri IV.

INSTITUTION HALLAYS-DABOT.

Les cendres de Thémistocle rapportées à Athènes.

Cur subitò ingenti latè fremit ora tumultu
Attica, curve ruit confusum ex arcibus agmen
Palladiis? Jàm non intra sua mœnia restant
Immissæ in littus, sedemque videntur Athenæ
Deseruisse : oculis omnes freta lata pererrant
Sollicitis, dubiique arrectis auribus hærent,
Si remus sonuit per vasta silentia ponti.
Scilicet advenit, totasque implevit Athenas
Nuntius : ex Asiâ tandem terrisque reduci
Barbaricis, patrum antiquo reddenda sepulchro,
Ossa Themistoclis, jamjàmque per æquora ponti
Adventare sacram fausto cum pondere navem.
Talia fama canit, serpitque per omnia murmur

Ora virûm : arrectas subiit reverentia mentes
Et triste exilium nomenque illustre tropæis.
Intereà placidas, zephiro aspirante, per undas
It ratis, et tacitâ sulcat vada salsa carinâ.
Impulit ipse pater dextrâ Neptunus, et atram
Prostravit pelagi rabiem, fluctusque vetavit (1)
Relliquias violare viri manesque verendos.
Illa subit propior mediisque apparet in undis
Exspectata; altâ mœrens stat puppe Neocles,
Dejectusque oculos cineres urnamque parentis
Fletibus irrorat : mutus dolor eminet ore,
Infixumque animo manet insanabile vulnus.
Tùm simul in navem optatam conversa tulêre
Ora omnes, omnes inhianti lumine totam
Lustravêre, omnis tanta ad spectacula turba
Sublatis manibus stupuit : ferventibus æther
Respondet studiis, circùmque sonantia ponti
Marmora et immenso littus clamore resultat.
Ipsi etiam scopuli jactant ad sidera voces;
Consonuêre jugis fremitumque per antra volutant
Secreta umbriferi montes, et lætus Hymethus
Assensu ingeminat concordia carmina gentis :
« En redit in patriam qui diro à funere nuper
Servavit patriam, per quem stant Palladis arces,
Altaque Cecropiæ manserunt mœnia gentis.
Te sine, ô æternum patriæ decus, omnis abîsset
In cineres urbs nostra fero prostata sub hoste.

(1) *Veto* fait au parfait *vetui*.

Te post fata etiam à muris nolèbat abesse,
Indignata tuum Persis cessisse sepulchrum;
Nunc manes redière tui, nunc debita gaudet
Ossa sibi reddi gens attica : funera saltem
Vindicat illa sibi, et magno se nomine jactat.
Salve, Græcorum servator, gloria terræ
Quæ te tàm fortem genuit; salvete, receptæ
Relliquiæ : propè perdiderat vos Græcia laude
Orba Themistoclis : vos impia Persis habebat
Victoremque suum poterat genuisse videri :
Nunc tumulos intrate patrum noctisque sub umbrà
Perpetuæ in dignà tandem requiescite sede.
Illa feret duræ mortis solatia magni
Umbra Themistoclis : meliùs tellure jacebit
In patrià manibus compostum corpus amicis.
O patriæ nimiùm injustæ lacrymabilis heros,
Ecce tibi tandem justos persolvit honores,
Attica gens; noli veterem meminisse dolorem,
Nec fletu nostros desideriumque tuorum
Aspernare : sat est quòd funera sæva dolemus.
Magnificum surget monumentum in littore tristi,
Mœsta tibi sedes nobisque piacula culpæ,
Quod salaminiacos fluctus plenumque triumphi
Prospiciet pelagus : semper Salamina loquetur
Illustrem virtute tuà Xerxisque fugati
Opprobrio, semper memores virtutis Athenæ. »

Sed jàm plausum inter vocesque et carmina vulgi
Appulit ad littus navis pretiosa, sacrumque
Ante oculos exponit onus. Solemnia luctu

Tristia communi celebrantur, et omnis in uno
Funere gens lacrymas supremaque munera miscet.
Quin et inaudito splendentia busta labore
Accepêre viri cineres animamque superbam,
Et quod funus erat poteras dixisse triumphum.

CONCOURS DE 1823.

DEUXIÈME PRIX DES VÉTÉRANS.

TRIPIER, Elève du Collége de Sainte-Barbe.

Même sujet.

NUNQUID Palladiâ cives è sede, revincti
Festâ fronde caput, confuso ad littora sese
Agmine proripiunt? Quid stantes ostia circum
Æquoreos avido prospectant lumine campos?
Scilicet, immemores Salaminæ expertus Athenas,
Exul Achæmeniâ traxit miserabilis ævum
Urbe Themistocles ceciditque; ad mœnia tandem
Attica relliquiæ tristes sacrosque vehuntur
Majorum tumulos : quæ vix increbuit urbem
Fama per attonitam, tectis ruit undiquè plebes
Ut sacræ meritos umbræ persolvat honores.
Intereà gremio cineres complexa verendos,
Inflantur Zephiris dùm carbasa plena secundis,
Undarum placidos navis perlabitur æstus.

Tu verò profugi qui, quondàm triste parentis
Exilium magni comitatus regis ad aulam,
Addictâ miseros casus pietate levabas,
Nunc ubi procubuit genitor, suprema, Neocles,
Solvis amore pio, celsâque in puppe verendus
Collectos urnâ cineres mœstâque reportas
Nave Themistoclem qualem mors invida fecit!

Ut verò propior successit navis arenis,
Spectantûmque oculis apparuit urna, tuendo
Expleri non corda queunt intenta, velutque
Magna Themistoclis se circumfundat imago,
Obtutu populus stat in uno fixus, et unà
Brachia littoreis protendit desuper undis.
Nec tacitâ intereà regnare silentia ripâ :
Tota triumphales sed plebes ad sidera voces
Attollebat ovans, percussaque littora circùm
Et scopuli fluctusque procul montesque sonabant.

« En demùm optatos longo post tempore fines
« Ingreditur, patriæque iterùm se reddit ovanti
« Per quem, barbaricis erepta furoribus, ingens
« Tollit Athenarum se gloria, et arcis ab alto
« Vertice regnatrix Pallas stat desuper urbi.
« Debita felices gremio amplectantur Athenæ
« Ossa viri; gaudet natum excepisse genitrix
« Exsultatque sacro tota Attica terra tumultu.
« Salve, laus ingens patriæ, salvete, verendæ
« Relliquiæ, sancti jàm dignum intrate sepulchrum
« Et vestrâ, cineres, tandem requiescite terrâ.
« Hìc ubi congestis Marathon decorata tropæis

« Surgit, et heroum tumulata tot ossa quiescunt,
« Solvit justa memor, dignos urbs solvit honores.
« Exuvias gestans Asiæ lauroque superbum
« Rostratâ patrii monumentum ad littoris undam
« Constituatur, ubi pateant freta vasta, proculque
« Insula de mediis Salamina appareat undis.
« Hoc monitus discat, quicumque intrabit Athenas
« Advena, quùm sistens juxtà Salamina sub armis
« Græcia Achæmeniâ sub mole fatisceret, unâ
« Clade Themistoclem timidas vertisse phalanges,
« Atque ubi fata virum patriæ rapuêre, suorum
« Hoc memores animos decus exstruxisse sepulchri. »

Intereà subiit ventis Pyræa secundis
Deposuitque rates venerandum in littore pondus.
Continuòque, inter solemnia digna, parato
Mandantur tumulo cineres, patriâque repostus
Sede Themistocles caris ignovit Athenis.

PREMIER PRIX DES VÉTÉRANS.

GRÈSLOU, Elève du Collége de Saint-Louis.

INSTITUTION BRISSAUD.

Empédocle exhorte les habitants d'Agrigente à renoncer au culte des faux dieux.

Huc ades, ô cultu gens dudùm læta profano,
Gens ignara Dei, superarum nescia legum,
Huc ades, atque animum dictis adverte volentem.
En tibi primus ego, civis tuus, illa recludam
Quæ sacra facundis docuit sapientia chartis,
Quæ cecinêre pii divino carmine vates :
Undè novum stupeas pulsâ caligine lumen,
Sublimemque viam terras exosa jacentes
Suscipias, vilique oculos tellure moratos
Altiùs ad patrii suspendas sidera cœli.
Aspicis opposito surgentem littore ripam,
Quà Nereus geminæ rupit confinia terræ :
Illìc præcipuus rerum verique repertor,
Et merito princeps à quo, ceu fonte perenni,
Purior attonitum sapientia fluxit in orbem,
Pythagoras italæ ostendit nova lumina genti,

Qui curvas in terram animas, sensuque carentes
Æthereo, fœdam penitùs dediscere vitam
Jussit, et erecto cœlum præsumere voto.
Erroris nebulæ turpes, probrosa voluptas,
Vana superstitio, mater fœcunda malorum
Diffugêre : novis meliùs stant legibus urbes.
Ille quoque excusso rerum penetralia velo
Ausus adire oculis, verasque extundere causas
Parmenides, dignus cui mundi arcana paterent,
Impositas orbi leges æternaque rerum
Fœdera sublimi celebravit carmine vates.
Et mihi, si qua fides, vestrî quùm cura moveret,
Mens fuit ut tacitas meditando expromere causas
Assequerer, mundumque amplexus mente viderem :
Quæ natura Dei, quæ sint mortalia fata,
Undè oriatur homo, quò debeat indè reverti.
En adsum ut veteres ostensâ luce tenebras
Discutere aggrediar, mersisque in nocte profundâ
Mentibus errorique facem præferre pudendo.
Nunc audite animis, verasque reponite voces :
Est Deus, ô homines, Deus unus et omnia vasto
Qui fudit servatque sinu, pater orbis et auctor,
Terrarum dominus, cœli suprema potestas.
Scilicet hujus amor populis alimenta ministrat,
Sustinet illæso nutantem pondere mundum,
Alternasque vices elementaque quattuor æquo
Temperat arbitrio, felix concordia rebus
Ut vigeat, motumque orbis conspiret in unum.
Res idem humanas certo moderamine volvi

Imperat, avertitque malum pacemque tuetur
Ut semper stabili mortales fœdere vivant;
Nec minùs ætherei miris concentibus orbes
Testantur servare vices et lege teneri;
His Deus imposuit divinæ conscia mentis
Numina, queis nitidi custodia credita cœli.
Quid quòd et humano Deus est in pectore, cives,
Mensque hominum supero fervet divinitùs igne
Ætheræ servans cœlestia semina mentis?
Scilicet hanc Deus ipse animam mortalibus ægris
Indidit exilii comitem vitæque magistram:
Quâ duce, difficili vestigia tramite firmant,
Quâ præsente, viæ pondus solantur iniquum.
Quis non hunc genium merito veneretur honore
Quùm partem sciat esse Dei? Quis, flante procellâ,
Vectorem trepidæ navis rerumque salutem
Despiciat, nulloque memor dignetur amore?
Huic igitur genio precibus, virtute litandum
Credite, mortales; pro thure calentibus aris
Sint puri mores, pro templo pectus honestum;
Hæc pietas, hic verus honos: sed maximè semper
Solvite vota Deo memores, qui solus in orbe
Liber et omnipotens magno tenet omnia regno.
Quòd si tu, periture, Deum divinaque temnis
Fœdera, fasque hominum; mortalia fugeris arma,
Non tamen effugies violati numinis iras.
Verùm ubi corporeis tandem mens libera vinclis
Evolat æthereos, non jàm terrestris, ad orbes,
Supplicio venit hora tuo, summique tribunal

Judicis, et facies apparet grata piorum
Manibus, ac pavido semper metuenda nocenti.
Quanti constiterint dilata piacula, demens!
Supplicium sine fine manet, dùm læta bonorum
Agmina gaudebunt cognata revisere regna
Æthereasque domos, undè est cœlestis origo
Seminibus, manesque pii supera alta tenentes
Emeritæ carpent æterna oblivia vitæ.
Contrà autem mala turba hominum, damnata perenni
Exilio, vivax in pœnam, squalida circum
Nubila pendebit, vacuumque per inane feretur
Irrequieta, vigil, jactata furentibus austris,
Et tempestatum rapidos perpessa furores,
Omnia funestis æquabit secula pœnis.
Tanta Dei vindicta furit; nisi præmia mavis
Debita virtuti, sedesque habitare quietas.

PREMIER PRIX DES NOUVEAUX.

DOULLAY, Élève du Collége de Bourbon.

INSTITUTION LANDRY.

Même sujet.

Mille Deos cœli, terræ pelagique potentis
Plebs Agrigentinam, veteri de more, per urbem
Læta celebrabat, pompâque effusa frequenti,
Omne forum sacrosque aditus compleverat. Ecce
E mediis unus, patriæ lumenque decusque,
Empedocles turbam, facturus verba, frementem
Conticuisse jubet; veri cui pulchra cupido
Et laudum generosus amor sub pectore subdit
Ingentes animos, impervia corda pavori,
Quæ populi non ira minax, non Etna procellis
Terreat ignivomis, fundo non æstus in imo.
Hic tamen errantes oculos vultumque severum
Dejicit, et secum primò reputare videtur
Plurima. Dein populi conversus ad ora morantis:
« Vos ait, ô cives, præsenti numine pleni,
Discite quid doceant, mentesque advertite dictis;

Quas vivendi artes et quæ documenta secuti
Vos tandem ex humili possitis tollere terrâ,
Ac penè (1) divinos animis comprendere sensus.
Quâ medio divisa freto, contraria nostris
Littoribus surgunt Græcis habitata colonis
Littora, jàm puros cultus, pecudumque cruore
Innocuos Italis mandavit nobilis exul,
Vir Samius, cæco populos errore vagantes
Ad melius revocavit iter, cænoque tenaci,
Atque voluptatum infixos in sordibus atris
Expediit, digitoque ostendens indice cœlum
Natalem patriam, sedes post fata quietas,
Extulit ipse facem, quæ fausto vinceret umbras
Lumine, et incertos regeret clarissima gressus.
Naturæ quoque Parmenides verique fidelis
Sectator, linguâ sàcratum interprete fontem
Æternasque pio detexit carmine leges.
Ipse (meum quamvis ingentia nomina longè
Exsuperant nomen) sub pectore plurima volvi
Conscius, emensus terras et plurima vidi,
Et doctum externis traxi vectigal ab oris.
Nunc mihi, nunc veteres tenebras noctemque profundam
Discussisse datur, causasque aperire latentes.
Unus et omnipotens Deus est, cui non fuit antè
Principium, non finis erit; parit omnia: nullus
Hunc peperit; per se pollet, mundumque creavit
Non divina manus, non dictum, at sola voluntas:

(1) Pēnĕ.

Esse orbem voluit, fuit orbis, homoque feræque,
Sideraque et montes, circùmque meabilis aer.
« Condere non autem satis est; et condita servat.
« Nam divinus amor terrarum sic fovet orbem,
« Sic alit, ut variis maneat concordia membris,
« Atque omni defensa malo stet machina mundi.
« Astra quoque innumeros æquatis passibus orbes
« Per cœlum jussi motantque reguntque ministri;
« Servanturque vices et non mutabilis ordo.
« Imò etiam nostro interior sub corpore custos,
« Dux vitæ, comes exilii, nos, inter utramque
« Naturam medius, torquet flectitque, remordens
« Si quid turpe agimus, rebus lætatus honestis.
« Huic igitur Genio precibus, virtute litandum;
« Præsertìmque Deo qui justis legibus ævum
« Temperat omnipotens. Quem tu ni ritè vereris,
« Sacrilegum comes insequitur celeri pede pœna.
« Nempè animus postquàm, terrestria vincula, corpus
« Fregit, et ad cœlum perrupto carcere liber
« Evolat; ad sanctum judex, mora nulla, tribunal
« Æternus vocat elapsum, vitamque recenset
« Ex ortu ad mortem, pro factis justa rependens.
« Scilicet ad primos ortus mens clara piorum
« Se recipit gremiumque Dei; verùm impia cursus
« Suscipit immensos, longisque erroribus, æstus
« Turbineos sequitur, tempestatesque sonoras. »
Hæc dùm magnifici narrat miracula cultûs
Vate animo sapiens, plebes dicentis ab ore
Pendet hians, et dicta viri miratur, et ipsum

Miratur perculsa virum, ritusque priores
Non meminit. Presso vix autem obmutuit ore,
Continuò fugit rimosas missa per aures
Vox pia. Sacra levis facit interrupta, Jovisque
Priscorumque Deûm consuetas tendit ad ædes.

DEUXIÈME PRIX DES NOUVEAUX.

NISARD, Elève du Collége de Sainte-Barbe.

Même sujet.

Si vos indecori pudet elanguere veterno,
Divinoque humiles sub pectore volvere sensus,
Grandia sanctorum dociles præcepta virorum,
Audite, atque pares animis jàm volvite sensus.
Jàm satis atque super sævo mortalia visu
Corda fatigavit, cœlique è sedibus instans
Desuper, infandis oppressit legibus orbem
Fœda superstitio; servilia rumpere vincla
Tempus adest, monitisque pias melioribus aures
Addere; tùm liceat subjectam audacibus alis
Spernere humum, et patrio jàm nunc assuescere cœlo
  Quà peregrina jacent, Siculi trans æquora ponti,
Littora littoribus nostris adversa, potenti
Eloquio magnas docet immortalia gentes,
Audacesque oculos attollere numina contrà
Edocuit, grandesque vocans ad grandia mentes
Pythagoras, Italas illustrat Achaicus urbes.

Jamque voluptatum puduit torpere nefando
Servitio, puduit mediis errare tenebris,
Primaque promissum sensit gens itala cœlum.
Ipse animo ingenti superas enisus ad arces,
Abdita fatidico naturæ arcana retexit
Carmine, et æternum toto moderamen in orbe
Parmenides, hominique viam patefecit ad astra.
Ipse quoque oppressam veteri caligine mentem
Æmulus erexi, longoque exercitus usu,
Turpia duravi contra mendacia pectus.
En placet indignos tandem subvertere cultus
Et sacrata metu commenta revellere; cœlo
